Mähly

Bonifacii Basiliique Amerbachiorum et Varnbueleri epistolae mutuae 1877

Amerbach

UNIVERSITATI EBERHARDO-CAROLINÆ TUBINGENSI

SOLEMNIA SÆCULARIA

A. DIEM VII ID. SEXT. ANNI MDCCCLXXVII

QUARTUM CELEBRANDA

PIE SINCEREQUE GRATULATUR

RECTOR ET SENATUS UNIVERSITATIS BASILIENSIS

ADIECTAE SUNT

BONIFACII BASILIIQUE AMERBACHIORUM ET VARNBUELERI

EPISTOLÆ MUTUÆ

BASILEÆ
TYPIS CAROLI SCHULTZII ACADEMIÆ TYPOGRAPHI
MDCCCLXXVII
1877

Herrn Geh. Justizrath Prof. R. v. Stintzing,
hochachtungsvoll.

1879. II. 21. Der Herausgeber A Weber.

UNIVERSITATI EBERHARDO-CAROLINÆ TUBINGENSI

SOLEMNIA SÆCULARIA

A. DIEM VII ID. SEXT. ANNI MDCCCLXXVII

QUARTUM CELEBRANDA

PIE SINCEREQUE GRATULATUR

RECTOR ET SENATUS UNIVERSITATIS BASILIENSIS

ADIECTAE SUNT

BONIFACII BASILIIQUE AMERBACHIORUM ET VARNBUELERI

EPISTOLÆ MUTUÆ

BASILEÆ

TYPIS CAROLI SCHULTZII ACADEMIÆ TYPOGRAPHI

MDCCCLXXVII

Cum ea sit ingenii humani vis atque natura ut si quid vel casu aliquo vel naturæ quadam necessitate in lucem prodierit quod ad vitæ commoda augenda et ad communem generis humani utilitatem promovendam, mores emendandos, animos formandos, ingenia polienda apprime facere videatur, non tam in præclare inventis fere acquiescat, sed indefesso usque studio terminos eorum propaget abditosque thesauros non eliciat modo omnes et effodiat sed suis ipsius dotibus cumulet, hoc ipsum post renata litterarum studia usu venisse est profecto cur universum mortalium genus sibi gratuletur. Cum enim ludorum litterariorum tum universitatum quæ ita dicuntur lætam beatamque segetem ex illa temporum ingeniorumque conditione pullulasse inter omnes constat qui optimarum artium non plane sunt incuriosi. Quæ quum ita sint, consentaneum esse videtur ut quo fere vinculo consociatos videmus homines eidem vitæ studiorumque generi addictos, hoc ipsum inter mortalium collegia consortiaque, quales sunt universitates, intercedat: hoc dico vinculum quo qui sese obligatum obstrictumque sentiat tristia læta sociorum eodem quo ipsi animo ferat, ut adversis scilicet rebus condolescat, congratuletur secundis. Igitur Basiliensi quoque quotquot adscripti sunt Academiæ doctores eorum accedere choro, qui vestræ universitati per tot sæcula rerumque discrimina fausta fortuna servatæ atque in sæculorum circuitum futurorum servandæ per horum dierum solemnitates læta quæque precentur atque accinant, tam est æquum quam quod æquissimum. Jam quum mos obtineat isque dulcissimus inter mortales, ut quem sive fami-

liaritatis ratione sive affinitatis contingant, natalis ubi anniversarius illuxerit, corollarii cuiusdam festivitate beent, ecquis æquo animo sit laturus eum, qui quattuor sæculorum feliciter peractorum memoriam concelebraturus sit, indotatum abire? Igitur circumspicienti mihi, quid potissimum munusculi vobis offerrem, visum est non tam ex artium litterarumve arcano velut recessu quædam depromere ingeniique quod sentio quam sit exiguum luculentum aliquod specimen edere, quam veterem quandam memoriam eamque ni fallor gratissimam eruere, unde quod iam ante hæc tria sæcula Tubingensem inter Basiliensemque Academiam intercesserit commercium præclaro exemplo appareat. Quam equidem dotem quamquam probe scio huius diei amplitudini haudquaquam parem esse, tamen quum doctissimum quemque deceat eundem humanissimum esse, sportulam meam siquidem HOMINUM quorundam lepidissima imagine contineatur, non prorsus indignam esse iudicavi vestra HUMANITATE, quippe qui humani nihil a vobis alienum putetis. Accedit, quod quæ hodie solemnitas instituta est ad præteritorum memoriam temporum revocandam HOMINUM potissimum reminiscitur eorum quorum opera factum est, ut Academia vestra ad tantum quanto hodie floret laudis fastigium sit evecta. Ex litterarum autem memoria qui HOMINUM vestigia vel posse eliminari vel debere iudicet, pro rebus ipsis vepallida rerum simulacra captat nubemque amplectitur pro Junone. Et habet illa recordatio — pietatemne dicam? — incredibilem quandam suavitatem, si quidem rerum institutorumque fluxa et fragilis est conditio viciumque fertur turbine perpetuo nec quidquam stabile præter HOMINIS naturam ex qua, veluti ex speculo, repercussam videas tui animi imaginem. Igitur cum ceteræ usquequaque Academiæ tum vestra temporum decursu plurimum subiit vicissitudinis, quo in genere nescio an illud primarium locum teneat quod quæ tum in omni rerum natura perscrutanda

posita erant studia, satis tenuia illa quidem et ut ita dicam in cunis vagientia, tantum hodie incrementi ceperunt, tanto auram strepitu et clamore implent, facile ut animadvertas in re publica litterata principatum ad illa delatum esse. Quod longe olim secus fuit. Nec vero rationem ipsam ponderum momentorumque quibus tunc singula eruditionis genera æstimabantur prorsus fuisse immutatam tam est dolendum quam unum quoddam qualecunque genus in hominum existimatione posse ceteris prævalere. In litteris enim quæ recte ita dicuntur nulla obtinet graduum distinctio. Quo fit ut qui naturæ arcana scrutatur non sublimiore ille quidem loco ponendus sit quam qui in hominum res gestas mores loquelas inquirat, sed prorsus eodem.

Atque adeo negari nequit in rerum naturalium studio aliquid latere periculi quod quo quæque disciplina magis cum vitæ communis utilitatibus est conjuncta, eo qui illam disciplinam exercet cavet difficilius. Etenim quod nunc est sæculum non magis virtutis rerumque vere expetendarum quam lucri earumque rerum regitur studio quas vix ac ne vix quidem ἀδιαφόρους severa antiquitas censuit. Quam morum ingeniorumque inclinationem ut vix erit qui doctorum culpa factam esse clamet, ita negari nequit mali late serpentis, veluti morbi, contagium etiam ad illorum animos pertinuisse, ut quam teste Salustio nemo sapiens unquam concupivit pecuniam iam in doctorum quidem litteratorumque hominum cœtu non pauci reperiantur qui nimium quantum concupiscant. Iidem quum sui purgandi causa sæculi ingenium prætendunt, non cogitare videntur, qui intra doctrinæ ambitum elaborent cultoribus etiam morum culturam gnaviter esse exercendam et vitiorum quidem semina exstirpanda, virtutum inserenda. Sed ut redeat unde digressa est oratio, Amerbachiorum vobis imaginem repræsentare in animo est, duumvirum animi candore et morum simplicitate non minus quam doctrinæ laude

præcellentium. Et utriusque quidem vitam quominus enarrarem, eximia Fechteri et Iselini popularium meorum præcavit diligentia, neque esset sane hujus loci hac ut provincia defungerer. Sed epistolarum commercium quod patrem inter, tunc temporis apud Basilienses eximia laude et iurisconsulti et professoris publici munus exercentem, filiumque Basilium, Tubingæ studiorum causa degentem, ante hos trecentos viginti amplius annos intercessit, infra describendum ex amplissima epistolarum collectione, qua laude nescio an nulla præstantiore bibliotheca nostra publica floreat, curavi, accedente præsertim Sieberi, thesaurorum custodis humanissimi, diligentia suo præconio haud frustranda. Is enim qua est in bonis litteris iuvandis industria, molestissimam describendarum epistolarum ex autographis lectu subinde difficilioribus provinciam ita mecum partitus est, ut si quid inde vel tantilli meriti in me redundaturum sit, pleniorem negotii partem dilectissimo socio acceptam referri facillime patiar. Nolebamus autem ab illa societate abesse quasdam Varnbueleri professoris Tubingensis epistulas et ipsas Tubinga ad Amerbachium patrem delatas, unde scilicet nonnihil lucis Amerbachiorum affunderetur commercio. Commentarios addere neque vacabat neque opus esse videbatur. Quæ festinanti calamo et pater et Varnbuelerus minus recte scripserunt (sunt perpauca) emendare religioni ducebamus illibatamque litterarum sanctitatem, quin immo gratam sive hominum sive stili neglegentiam potiorem omni morositate grammatica habendam fuisse vix est quod moneam.

Igitur, viri humanissimi, hoc quantulumcumque est munusculi boni æquique consulatis eoque quo ante hæc tria amplius sæcula uterque Amerbachius animo accipiatis. Valete et litterarum laude florere pergite.

Dabam Basileæ. *J. Maehly,* p. p. o.

EPISTOLÆ AMERBACHIORUM ET VARNBUELERI

MUTUÆ

TUBINGA ET BASILEA DATÆ

I.

Nicolaus Varnbülerus Bonifacio Amerbachio.

(Cod. Basiliens. G. I. 9. fol. 15.)

Doctissimo viro ac clarissimo Iurisconsulto Doctori Bonifacio Amerbachio, Domino ac præceptori observandissimo. Basileæ.

S. P. D. Etsi nulla mihi tecum notitia sit, Iurisconsultorum clarissime, tamen, cum multis iam annis excellens tua doctrina, benevolentia atque humanitas singularis tantopere mihi prædicata sit, quæ ego partim rebus et factis ipsis vera esse comperi, incredibilis quidam amor erga te mihi excitatus fuit, quo etiam hodie avidissime sum affectus. Eius rei primus mihi author fuit frater meus Georgius Varenbülerus: qui te Basileæ circiter annos tres in Iure civili audivit. Id quod eo lubentius refero, quod et mihi postea ea res perutilis fuerit. Nam cum multorum illustrium locorum in iure civili explicationes ex te conscripsisset, veluti de Edendo, de Re iudicata, in priores duos libros institutionum, et aliorum complurium, ac postea studiorum gratia simul Lovanium proficisceremur, equidem certe non potui commodioribus commentariis ad institutum consilium meum uti, quam illis ipsis abs te fratri meo dictatis, quibus etiam hodie adhuc non mediocriter delector. Deinde cum ante annos sex una cum eodem fratre Georgio hic doctores fieremus, et ex eo tempore statim in collegium professorum iuris ab inclyto universitatis nostræ consilio cooptarer, dictu mirum est quoties et quantis laudibus Sichardus noster præclaram tuam eruditionem ac virtutes eximias evexerit, et evehant quotidie qui unquam tecum vixerunt, ut interim taceam consilia tua gravissima et omnis prudentiæ acuminis et æquitatis plena, quæ nonnulla in manus etiam nostras pervenerunt. Hisce ac aliis de causis non potui non te virum doctissimum atque humanissimum etiam absentem et de facie ignotum amare, suspicere, et ut præceptorem brevi manu (ut de mutuo in Iure nostro dicitur) mihi comparatum colere.

Atque hinc est ut in præsentarium, confisus humanitate tua, sim passus exorare me Magistrum Ioannem Nisæum, ut literis meis tibi commendaretur. Quo etiam eo facilius deductus sum quod sperem et me eadem opera humanitati tuæ commendari posse, et in numerum non dico amicorum sed discipulorum tuorum recipi. Et ut ad Nysæum redeam, fuit is etiam antea studiorum gratia Basileæ, ac putat se cæteros quidem omnes habere notos et benevolos; cum autem sciat te inter reliquos quasi caput excellere plurimumque

authoritate tua posse, rogo te etiam atque etiam diligenter, ut per occasionem rationes eius promovere benevole digneris. Iuvenis est meo iudicio singulariter pius ac doctus, qui quamdiu meo convictu, ad biennium fere, usus est, ita se exhibuit, ut solis studiis literarum ac pietati natus esse videatur. Instituit hic eo tempore, quo nobiscum fuit, Lucam Welserum, a quo etiam est tantisper altus ac sustentatus. Cum autem discipulus consilio matris ac propinquorum in Italiam se contulerit, aliumque sibi magistrum adiunxerit, dimissus est paedagogus, ac iam Basileæ conditionen aliquam commodam, qua ei liceat pio et integro ac studioso esse, quærere constituit; nam hic in præsentiarum nulla sese offerebat. Maiora etiam hoc tempore apud nos incommoda sunt, in hac rerum omnium perturbatione, quam ut talibus ingeniis vel libeat vel liceat liberis hic esse. Quod superest, doctissime vir et Iurisconsultorum coryphææ, te oro rogoque diligentissime ut me atque etiam Nysæum habeas commendatum, hasque meas literas vel importunius vel fidentius ad te scriptas pro tua ἐπιεικείᾳ boni consulas, meæque temeritati aut potius facilitati ignoscas. Bene vale. Thubingæ. Idibus Julii Anno salutis M. D. L.

Nicolaus Varenbülerus J. U. D.

II.

Nicolaus Varnbülerus Bonifacio Amerbachio.

(Cod. Basiliens. G. I. 9. fol. 17.)

Iureconsultorum coryphæo viro optimo atque clarissimo Domino Bonifacio Amerbachio, Lectori et Doctori Academiæ Basiliensis summo, Domino et Patrono clarissimo.

S. P. D. In gravi acerboque luctu constitutus hodie tuas literas accepi, vir clarissime et iurisconsultorum præstantissime. Tribus enim horis post humatum Sichardum nostrum eas mihi nuncius vester attulit. Præ dolore itaque maximo, quem non modo privatim ob amissum patronum et amicum clarissimum accepi, sed etiam quo ob publicam utilitatem affectus sum, una cum toto nostro gymnasio, fere quod rescribam tibi non habeo. Nosti enim, vir doctissime, conturbatum dolore animum non esse idoneum ad obeundum munus suum. Ignosces igitur mihi si parum docte et minus convenienter tibi respondeam, non tantum ob eam causam, sed etiam hanc aliam quod hac ipsa hora ad Margravium Badensem (cui me jam antea princeps meus clementissimus D. Christophorus ex certis causis adiunxit, dum cum patre suo M. Ernesto tota ejus causa componatur) avocor; et propterea et festinantius et brevius tibi cogor rescribere. Literæ itaque tuæ mihi certe profecto fuerunt gratissimæ, quod ex his liquido perspiciam me abs te, tanto tamque præclaro viro, cujus corigiam solvere non sum dignus, amari. Ego igitur perpetuo dum vivam te et redamabo, ut ita dicam, et colam. Ac

quod de instituto tuo consilio scribis, quo filium tuum unicum ad nos mittere constituisti, puto sufficere unam illam causam consilii mutandi, quod Sichardum columen et decus reipublicæ nostræ scholasticæ amisimus, quo non aliter Gymnasium nostrum quam olim morte Camylli Res publica Romana castrata esse videatur. Alioqui aere utimur salubri et commodo, cuius rei argumentum tibi esse potest, quod aula principis nostri universa una cum eius coniuge et liberis hic degant. Interim tamen regnavit hic per hosce caniculares aliquamdiu dysenteria, quæ etiam multos sustulit. Sed ea iam desiit sævire, ut nisi aliud malum (cuius dysenteria fere πρόδρομος esse solet) sequatur, utamur et usuri simus hic singulari et optata tum amœnitate tum salubritate, quo nomine etiam apud nos hæret, ut dixi, Aula principis et consilium universum. Schola nostra est tam frequens etiam quam fuit toto hoc octennio quo hic vixi. Quam frequentiam, ut verum fateamur, Sichardus præcipue sustentavit et auxit. Utique scholæ nostræ alius quærendus est Sichardus; puto enim non facile nos neophytum conducturum, sed quo ad ejus fieri potest Iureconsultum aliquem clarum et maturum quæsituros, qua in re te rogo et oro propter publicam utilitatem et communia studia, ut si quem scias, ad nos expensis scholæ nostræ vel mihi proprie perscribas; tuum enim consilium et authoritas merito apud nos futura est momenti maximi. Tuæ petitioni vero amicissimæ hoc respondeo. Si omnino filium tuum ad nos missurus sis, eum me (etsi alios recusaverim complures) tuo nomine suscepturum libenter et tantisper in mea mensa domo et musæo sustentaturum, dum commodiorem hospitem nanciscatur. Non dubito enim filium tuum paterna virtute ita esse institutum, ut patri quam simillimus fiat, hoc est pius bonus et doctus evadat. Literas tuas ad Sichardum scriptas dedi doctori Gaspari Vollandio collegæ nostro, quem Sichardus dilexit unice, quem etiam executorem testamenti sui esse voluit, qui eas resignavit, et quia nihil aliud continebant quam quod ad me scripseras, putavit alio responso non esse opus. Ego in præsentiarum ob festinationem et dolorem plura non possum scribere. Tu, vir præstantissime, hæc pro tua humanitate et virtute boni consules, et me tibi perpetuo commendatum habeas rogo; ego vicissim, ut dixi, in perpetuo te colam, et in tuo nomine sum futurus. Vale. Festinanter Thubingæ 4 id. Septemb. anno Sal. 1552.

Tibi deditissimus

N. Varenbulerus.

III.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 1.)

Doctissimo viro Domino Bonifatio Amerbachio legum doctori, parenti charissimo. Basileæ.

S. Charissime pater. Vigesima quarta huius mensis die Tubingam fœliciter perveni, ubi a doctore Varnbulero humaniter sum acceptus; Doctor quoque Fuchsius mihi omnem pol-

licitus est operam, omnesque qui me norunt, tua causa nihil non promittunt atque pollicentur. Viginti aureos Doctori nondum dedi, sed cras ei numerabo. Equum qui vellent emere, hic nulli fuerunt, quapropter necessario remittendus est. Ut ad alia pergam, tunica interior hic similis ei est, quæ apud nos induitur, videlicet in pectore aperta, tametsi pauci admodum qui talibus induantur sint. Neque ipse Doctor Varnbulerus tali utitur vestimento. Quapropter si velis, ut vel apud nos vel hic Tubingæ conficiatur, certiorem me facito. Pallium quod mecum attuli usui diutius esse non potest; quamvis enim qui tali utantur sint, tamen fere vestis ea non est studiosorum. Corpus iuris civilis a Doctore Varnbulero habere non potui, nam se aliis commodato dedisse ait. Utque ab aliis conducere vel commodato possim accipere, vereor. Vellem itaque, ut quam citissime iuris tam civilis quam Canonici corpora (ita enim suadet Doctor Varnbulerus) ad me mitterentur, una cum Ciceronis operibus, Stobæo, Ethicis Aristotelicis et institutionibus meis, nam Lagi librum, quem ut mitteres nuper oraveram, hic facile mihi potero comparare. Existimat Doctor Varnbulerus ad Scaphusiam libros esse mittendos; nam illinc ad nos facilius et citius posse transmitti, quam si Argentinam deveherentur, cupitque libros quos ab Isingrinic accepturus est simul adferri. Sed de his tu melius poteris iudicare. D. Brentius, quem in aula Principis conveni, plurimum te salutari jussit. Saluta D. Ulrichum, Faustinam et Julianam sorores carissimas, quas ego proximis ipse salutabo literis, totam denique familiam. Bene vale, pater carissime, atque omnia, quæ ab obedientissimo proficisci possunt filio, hæc de me tibi persuadeto. Iterum vale. Tubingæ 25 Sept. Anno 1552.

Obsequentissimus filius tuus
Basilius Amerbachius.

Dixerat mihi die hesterno D. Varnbulerus, Principem Christophorum proprium nuntium qui te accederet instituisse; interrogavi tunc, num meus idem expedire posset famulus, dixique ultra diem Solis non hic mansurum; sese interrogaturum respondit. Hodie cum nuntium cras summo mane abiturum dicerem eaque de caussa an literas tam dux quam ipse parassent, Ducem iterum esse ea de re eadem die admonendum, ait. Ita accidit, ut Henricus crastino summo mane (quemadmodum instituerat) non abeat, sed a Duce responsum expectet. Hæc omnino tibi significanda esse Henricus voluit, ne hic frustra moram traxisse videatur. Iterum vale, Pater dilectissime.

(Redditæ 25. Septembris A° 52.)

IV.

Nicolaus Varnbülerus Bonifacio Amerbachio.

(Cod. Basiliens. G. I. 9. fol. 19.)

Clarissimo doctissimoque viro I. U. Doctori domino Bonifacio Amerbachio, Patrono suo ac Domino perpetuo colendo. Basileæ.

S. P. Cum plura, Vir clarissime, in præsentiarum tibi non possim respondere, hoc saltem scribo, filium tuum Basilium fore mihi et charissimum et commendatissimum non tantum tua authoritate et gratia, quæ est apud me maxumi, sed etiam ob suam virtutem, quam vel hoc brevi temporis spacio in eo elucere animadverti. Vivet mecum in meo Musæo et mensa mea, et intelliget fortasse re et factis ipsis quam charum eum sim habiturus. Hæc festinanter et non plura; cras enim intelligo alium nuntium a Principe nostro Illustrissimo ablegandum qui apud vos sit transiturus, cui literas ad te uberiores dabo. Hoc solum abs te rogo, ut si Basilio tuo libros et vestes mittere constitueris, patiaris adiungi libros nonnullos quos ab Isengrinio aliis quibusdam discipulis mitti postulavi, ut communibus expensis huc perferantur. Hisce bene vale, vir clarissime et mihi perpetuo charissime. Thübingæ 27 Septemb. idque raptim. Celio rescribam cras.

Tuus **Nicolaus Varnbülerus.**

V.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. I. 16. fol. 1.)

Basilio Amerbachio, Iuri Civili Tubingæ operam navanti, filio charissimo. In ædibus clarissimi domini Nicolai Varenbuleri.

S. P. Basili fili charissime. Literis tuis Euangelia debeo, te istuc salvum venisse adnunciantibus. Præterea non minus iucundum est, te a domino Varnbulero tam humaniter in suam domum receptum, adhoc Fuchsium suam operam tibi obtulisse ex iisdem cognoscere. Præsta quæso, fili mi, vita morum et obsequendi suavitate facilitateque, ut plerique causam habeant et tui amandi et mihi de tali filio congratulandi. Inprimis vero dominum Varnbulerum præceptorem tuum tanquam mentis parentem non minus quam ipsa studia reverere et ama. Ad hæc ne vel eiusdem uxori vel familiæ quoquo modo negocium facessas

etiam atque etiam pro virili cave, erga omnes pro benigni, pii ac tractabilis juvenis natura officiosus. Malorum societatem vita cane peius et angue. Non tam bonis moribus prava colloquia incommodant, quam malorum consuetudine corrumpimur. Ebriosus, inquit ille, convictores in amorem vini pellicit, impudicorum cœtus utrumque, fortem et pudicum, emollit. Quid plura? tales evadimus, quales sunt quibus cum vivimus. Cave, cave, fili mi, a perditis et malis. Cuius rei causa istuc profectus sis memor, bonas horas bene colloca, parem rationem integritatis morum et studiorum legalium habens; nullo maiore beneficio parentem filius, nulla maiore læticia adficies, quam si te reducem non tam literis quam sanctis moribus operam navasse deprehendero; hoc volo, hoc iubeo, hoc pro patria potestate mando. Proin quia dimidium facti qui bene cœpit habet, novus Iustinianeus elementis sive Institutionibus Iustiniani te totum dedas, legibus (ut appellant) si quæ ab Accursio citantur ad Pandectas et Codicem, quod vel probent vel ad rem faciant, diligenter collatis. Accedat his diligens lectio regularum iuris cum tractatu de verborum et rerum significatione, id quod Alciato, parum olim promoventi, in iuris studiis feliciter progrediendi viam aperuit. Et hæc, præter lectiones publicas, quas tibi præceptor audiendas consuluerit, ordinaria tua studia sunto. Cæterum in extraordinariis suffecerit unius Ciceronis et moralium Aristotelis lectio. Audivisti sepius a me, variam lectionem oblectare, certam prodesse, et Budæum dicere solitum, non multa legenda esse, sed multum. Verum de his aliquando fusius et accuratius. Libros a te designatos mitto Argentoratum ductu et suasu Hervagii ad Christophorum Riedlingerum, eius institorem, cuius diligentia ad te perferentur spero ad primam vecturam. Nam navis hodie hinc profecta est. Addidi libris vestimenta in tuo scrinio inventa, si quibus tibi præterea opus fuerit, sed et caligas et interiorem tunicam pro moribus patriæ tibi istic comparabis. Quod si pecunia quam tecum habes non sufficiat, maxime equo istic non vendito, sed huc remisso, rescias præceptorem tuum fidem suam pro te interpositurum esse. Alloquar Hervagium, Isingrinium et Oporinum, an fortassis bibliopolas Tubingenses in nominibus suis atque adeo debitores habeant. Esset commodissima pecuniæ ultro citroque suppeditandæ ratio, si quid bibliopolæ vestri nostris deberent; id tibi aut præceptori tuo solutum ego nostris hic redderem. In pecunia porro dispensanda, fili mi, frugalis esto. Amicos, inquit Cicero, observantia, res vero parsimonia retinentur. Facies itaque sumptus necessarios et utiles; cum ventribus et decoctoribus nihil tibi commune erit. Nam ut nihil tibi deesse velim quæ ad victum et honestum vestitum pertinent, ita prodigalitatem *καὶ τὴν ἀσωτίαν* me improbare intelligas. Quo referas etiam licebit, si fortassis mutui nomine interpellatus passim in magnis summis te facilem præbeas. Non est iuvenum peregre habitantium *καὶ ὑπεξουσιῶν* inconsultis parentibus mutuum dare. Præterquam quod ea res plerumque malum exitum habet, fit proprium, ut ille inquit apud Plautum, pro perdito, et repetentes ex amicis nostra

pecunia nobis inimicos paramus. Excusationem habes, nullam te pecuniam habere, vel eam a præceptore adservari, a quo nisi in usus necessarios petere non ausis. Quod de mutuo audis, id in fideiussionibus quoque exaudias, nempe, ne fidem tuam pro alio facile aut temere obstrinxeris. Vetus verbum habet: Sponde, noxa præsto est. Uxori præceptoris tui (quia nuper exciderat) ducatum Lusitanum his literis inclusum dono dabis xenii nomine, meque eidem reverenter commendabis. Horologium arenarium fortassis quam optime collocaris, si præceptori gratum fore intellexeris. Hic alia haberi poterunt. Proin rogatus sum a Sultzero quorundam Sanctogallensium nomine istuc iter instituentium, ut res quoque ipsorum in vas tuum includi sim passus; unde sumptuum vecturæ et impensarum, quas tibi Christophorus Riedlingerus, Hervagii institor, designarit, ipsi duas partes solvant, tu vero tertiam persolvas, nam ipsi bis tantum in vase habent, ut æstimavit Petrus compactor. Vas autem signatum accipies Hervagii signo tali ; quod alio consilio adiectum non est, quam ut a Christophoro Argentorati agnitum eius istuc transmittendi diligentiorem curam adhiberet. Cura valetudinem, fili mi Basili charissime, et semper et perpetuo vive et vale. D. Ulrichus cum Faustina, Juliana et tota familia te plurimum salvere iubent. Basileæ V. Non. Octobr. Anno M. D. LII. Isengrinius Vulffgango Conrado Schweicher bibliopolæ scribit de pecunia si qua aliquando indigueris tibi numeranda. Quid responsi acceperis, proximo nuncio significato. Clarissimo domino Fuchsio et omnibus mei studiosis plurimam meo nomine salutem.

Bonifacius Amerbachius,
tuus parens.

Celius heri admonitus, hodie mane se literas suas missurum recepit, sed, ut video, nuncius abitu suo eum antevertet.

Basili, fili mi, quod heri exciderat, observa diligenter consuetudinem domus præceptoris tui et eidem te accommoda, et quod ab aliis convictoribus (ut audio præceptorem tres alios habere) fieri soleat, exempli causa, si alii convictores sua linea lotricibus publicis lavanda locare soleant, tu idem facito, ne uxor aut familia præceptoris plus in te quam in aliis oneretur. Idem sentio de reliquis. Scrinium tibi parabis aut arcam sera munitam, in qua res tuas reponere potes.

Elenchus librorum et omnium in vase ad te pertinentium.

Corpus Iuris Civilis cum glossis. in quinque tomis. editio Veneta. Regal.
Corpus Iuris Canonici cum glossis in tribus tomis. in 4°. editio Basiliensis.
Ciceronis opera in duobus tomis. ex editione Hervagii. bogen.
Institutiones cum glossis. Lugduni in 4°.

Commentarii Detii in tit. de regulis Iuris in Pandectis et Dini in eundem tit. sexti decretalium in 8°. Lugdunensis editio. Non sunt inligata. Cum casu in manum venissent, volui ad te mittere, ut in chartam inligatis enchiridii vice utereris ad exempla petenda.

Aristotelis Ethic. Polit. et Oeconomiκῶν libri cum commentariis et isagog. Fabri. Parisiensis editio. bogen.

Stobæi sententiæ græcolatinæ. Oporinus, bogen.

Illustrium poetarum flores per Octavianum Mirandulam. in 8°.

Elenchus manu scriptus a te nescio an in Ethica Aristotelis, quem libris mittendis adiunctum inveni.

Alciatus de verb. significat. Griphius. bogen.

Vestes.

Ein schwartzen rock.

Negelin farwen rock. Has pro moribus patriæ mutare poteris, vel sic gestare et alterutram velis, adversus hyemis injurias pellibus subducere. Kauff ein lemmin fuoter under einen.

Ein schwartz damasten wammest. Magst wyther hosen und wammest diner nothurft und gelegenheit kauffen, darmitt du erlich bekleidet kummest. desglich wil ich auch von anderm gesagt haben.

Die zwen librock hab ich dir nitt geschickt, dann der tiechin mitt dem fuoter wie Franz (?) anzeigt sy dir zuo klein, habst in nitt wellen dragen; der ander von halbem bursat ist zerzert. Deshalb los dir ein lybrock machen von halbem bursat oder schamlot oder anderm dines gefallens noch der gattung wie erbare studiosi das pflegen zu dragen, magst den mitt beltz oder anderm noch diner gelegenheit lossen fietern.

Der hembter sindt keine mer wys oder geweschen gewesen, hett man sich der ylenden fuor nitt versechen.

Was nun wyters im vass, gehort Sanctogallensibus zuo, deren nammen sindt Joachimus Weissberger, Uriell Appenzeller, Melchior Rotmundt, Huldricus Schlumpff. acht sy syen dir bekannt, als die ettlich zytlang hie by Sultzero gewont habent. Das vas ist für den drittheil din, und der zweitheil iren, hab siben plapart Petren buochbinder darumb geben, der alle ding ingepackt, und wie der fuorlon .... taxirt. Vive et vale feliciter et cave ullam scribendi occasionem oblatam intermittas.

VI.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 3.)

Doctissimo iurisconsulto Domino Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

S. Si vales, charissime pater, bene est, ego valeo. Accepi hesterna die, pater observandissime, literas, quas ad me V. Non. Octob. scripsisti. In quibus et de observantia erga D. Varnbulerum, præceptorem meum, totamque eius familiam humanitatem primo, deinde etiam de vita et studiis recte et pie instituendis admones, quæ mihi gratissima fuit adhortatio, cui ut obsequar pro virili semper nitar, Christumque patrem, ut ad id prestandum spiritus largiatur munera, summis precibus orabo. De sumptibus faciendis id curabo, ut quam potero parcissime et non nisi necessitate coactus quidquam impendam, et quamquam alii, qui etiam parce et sobrie hic vivunt, magnam quotannis propter summam omnium rerum caritatem insumant pecuniam, ego tamen illos frugalitate atque parsimonia vincere conabor. Ducatum Lusitanum, quem Dominæ meæ tradi xenii nomine iubes, accepi, sed nondum illi obtuli; a te enim existimabam prius quærendum, an, cum reliqui convictores xenii gratia ab initio nihil dederint, num is pro strena aut nundinarum caussa, quia iam hic impendent, donandus esset. Fere, ut audio a convictoribus, neque xenii nomine ab initio neque pro strena quidquam solvitur, sed cum discedendum est convictoribus, tunc donare solent aliquo munere heras suas; sed tamen quid facere debeam tu melius nosti, mi pater. Statim iam dedissem, sed quia vis me ceteris in rebus parem esse convictoribus, ideo hac de re consulendum te existimavi. Horologium arenarium dabo præceptori, quamprimum usui esse rursus poterit. Nam ex continuo motu (cum scilicet adveheretur) accidit, ut non semper defluat, sed interdum aqua hæreat; spero autem propediem, quod ex motione vitium traxit, iam quietem, ut ita loquar, depulsurum; iam enim melius se habet quam cum primo huc venissem. Habet ipse Doctor quoque tale horologium et pulchrius etiam meo, quod a Velsero dono ex Italia missum est, sed omni prorsus usu caret; nunquam enim tantum moveri potest, ut vel tantillum arenæ fluat. Spero me propediem libros habiturum, nam Institor iste Hervagii propediem mittet. Conveni bibliopolam, de quo scripsisti, Vuolphgangum nimirum Conradum; is se daturum pollicitus est 10 vel 20 aureos vel plures etiam, donec Isingrinium ipsum vel Basileæ vel Franckfordii conveniat. Arcam qua res meas servare atque custodire possim Præceptor meus dedit, quapropter, ut aliam mihi comparem, non necessarium puto. Bene et humaniter a Doctore præceptore meo tum quo ad victum, tum quo ad alia tractor. Lectionem adhuc nullam propter ferias Vindemiales, quæ per dies 14 duravere neque, ut audio, ante hebdomadas tres finientur, audire potui. Copiosius de singulis propter nuntium iam abire parantem scribere non possum. Vale, pater charissime; D. Ulri-

chum, Faustinam, Julianam, Franciscum atque totam familiam meo nomine salutato. Raptim ex Musæo D. Varnbüleri 10. Octob. Anno 1552.

Tuus obedientissimus filius
Basilius Amerbachius.

(Redditæ 26. Octobris hoc est 7. Cal. Novembr. A.° 1552.)

VII.

Nicolaus Varnbülerus Bonifacio Amerbachio.

(Cod. Basiliens. G. I. 9. fol. 20.)

Optimo viro et Iureconsulto Clarissimo Domino D. Bonifacio Amerbachio, Domino et Patrono suo perpetuo colendo. Basileæ.

S. P. Si mihi apud te excusatione est opus moræ et nuntii Ducalis, quo me uberius rescripturum superioribus literis receperam, hanc affero, Doctorem Höcklinum, affinem meum, authorem mihi fuisse sustentandi hic Ductorem filii tui integrum diem, quod per eum Princeps Meus illustrissimus ad te de certis rebus esset scripturus, inter cætera, ut scholæ nostræ, summo suo iuris civilis Doctore, Sichardo scilicet, orbæ, quasi quidem legitimus tutor succurreres, hancque gravem eius orbitatem alio quopiam iureconsulto non tantum iurisprudentia, sed etiam pietate conspicuo levares. Id quod Princeps fiducia tua per te maxime confici constituique vellet, qui optimos quosque facile habeas notissimos. Etenim sic affectus est Princeps cordatissimus, ut, quomodo olim imperiali constitutione (licet hoc hodie præpostere fiat) a togatorum consortio excludebantur omnes qui non sacrosanctis catholicæ religionis mysteriis imbuti fuissent, ita in scholam consiliumque suum non nisi syncere pios christianosque sit admissurus, quo ad eius fieri potest; et si qui non omnino quod dicitur puri putique adhuc tolerantur, id fortasse fit ex iuris nostri regula, quod facilius impediatur quam tollatur factum. Intelligis, vir prudentissime, quid sentiam. Sed ut ad propositum redeam unde sum digressus: cum postera die affinem meum interpellarem, num literæ illæ essent confectæ, et caussarer nuntii moram graviorem, respondit Principem aliis iam fuisse occupatum et constituisse intra paucos dies nuntium ad Montem Pelligardi missurum, per quem id quoque velit conficere; de quo propter occupationes meas (quibus tunc ad te plu-

ribus scribere impediebar) gaudebam. Putabam enim eodem nuntio id me compensaturum; verum dum mihi de nuntii illius abitu nuntianti expecto, iam abierat. Sive igitur is ad te venerit sive prætervolaverit, vera sunt quæ scribo, meque exusari cupio. Iam igitur quod reliquum est, superioribus literis omissum, paucis expediam. Et primum quod ad commendationem filii nostri communis attinet, ipsum apud me *συστατικῶν ἐπιστολῶν* indigere minime scire debes. Primum enim fuit mihi et adhuc est vel tua caussa charissimus, deinde ipse se virtute sua moribus indole atque ingenio ita mihi iure commendat, ut adhuc mihi charior commendatiorque existat. Id quod fidentius de eo scribo, consumpto iam cum eo salis modiolo. Non enim possum aliter de eo iudicare quam de adolescente pio modesto et indole ingenioque prædito bono, de quo non nisi maxima quæque speranda sunt. Quare est quod tibi, vir clarissime, gratuler vehementer, qui talem posteritati relicturus aliquando sis filium, prius tamen hoc tuum paternum desyderium expleturus gaudiumque tuis oculis visurus, quod vel Celso patri vel Nervæ in suis filiis clarissimis contigit. Venit autem ad nos intempestive, tunc scilicet, cum ferias nostras vindemiales inchoaremus, quæ etiam adhuc durant, ita ut filius tuus parum studii atque diligentiæ apud me hactenus viderit. Cogimur enim res nostras familiares iam curare pænuique prospicere formicarum exemplo. Sed otium hoc non collocat male interim; scribit enim et legit sedulo et præparat sese singulari quadam diligentia futuris lectionibus studiisque, in quibus etiam non est tam rudis et puer, ut tu, qua es modestia, literis tuis extenuasti. Præterquam enim quod fundamenta literarum ac philosophiæ utilioris habet commoda, eos etiam in iure civili (maxime in institutionibus imperialibus, tanquam certis principiis disciplinæ nostræ) progressus fecit, quos ego, ut verum dicam, et admiror et facio magni et propterea sperem hisce progressionibus eum cum laude in hoc stadio cursurum. Hæc cum scriberem et adhuc plura addere vellem, ex improviso evocatus sum ad Principem. Quare abrumpo filum, quod consules boni. Proxime addam plura, hoc tamen iam subnectens, ut de pecunia ad nos mittenda solicitus non sis, cum adhuc nihil debeas, sed ego tibi potius ob acceptos viginti renenses aureos, et si etiam nullos misisses, tamen mihi non fuisset difficile, multo minus molestum, filio tuo subministrare necessarios et honestos sumptus. Vale, vir clarissime et columen iurisprudentiæ decusque perpetuum, et me, quod facis, ama. Ego te coiam etiam dum vivam, filiumque tuum ut meum curabo. XI Octobris. Anno MDLII.

Tuus **Nicolaus Varenbulerus.**

Domino Cœlio salutem dicas velim amantissime tantisper, dum ei possim rescribere. Quod faciam, quam primum potero.

VIII.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 5.)

Clarissimo viro Doctori Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

Charissime pater. Ne de mea prosperitate esses incertior, non abs re fore arbitratus sum, si de ea per nuntios Franckfortienses te facerem certiorem. Scito itaque me Dei gratia bene valere, quod et de te tuisque spero. Libri mei proximo martis die sunt allati, quod mihi maximam attulit lætitiam; quid enim sine iis in studiis possim proficere, non ignoras. Lectiones has audio: D. Nicolaus de donationibus in codice explicat materiam et iam in titulo de revocand. donat. versatur. D. Chilianus Vogler in Institutionibus versatur, D. Gerardus Prastbergius in sexto de litis contestatione titulum aperit. Cæterum duo, quos non accedo, reliqui sunt, nimirum D. Jacob. Cappelbockius et D. Caspar Vollandius, quorum hic titulum de dilationibus in decretis explicat, alter de minoribus in digestis. Priorem si Præceptori meo visum fuerit, audiam quoque. Plura non scribo, tum tempore impeditus, tum quod sperem, me nuntium ad te, qui hunc antevertat, esse habiturum. D. Cœlio me excusabis, ad quem, nisi timerem ne gravarem nuntium, nequaquam haud non darem literas, quæ iam ante aliquot dies paratæ fuerunt, cum studiosus Vuittenbergensis quidam se Basileam iturum diceret; cæterum is nescio quo pacto animi propositum mutavit. Bene vale atque inconditis literis condona. Raptim Tubingæ 11. Novemb. Anno 1552. Saluta familiam.

Tuus obdientissimus filius

Basilius Amerbachius.

(Redditæ in die conceptionis beatæ Virginis 8 Decembr. 1552.)

IX.

Faustina Amerbach Basilio fratri.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 235.)

Dem Ersamen vnd wolgelerten Basilius Amerbach minen lieben bruoder zuo handen.

Min frindlicher gruoss vnd schwesterliche trüw, lieber bruoder basilius; wyss, das mir noch alle frisch vnd gesund sind; das von dir zuo vernemen, wer mir alle Zitt ein grose freid. Wie du mir zuo nechs geschriben hast, han iich von den heren enpfangen der hemder halb wye

du dem heirichen eins gelichen hast hat er nit dor von geseitt er gedengen nunen. Der her hatt ouch gesagt, man sol ims nit heischen. Du hast mir ouch geschriben, du derfest keiner hemder der zitt halb, han iich dem herren geseit, was du aber sunst bedarfs nachthuben oder fatzenletlin, schribs mir, wil iich dirs schicken. min herr vnd der luxlin lond dich vast griesen, Marta kan schon gon, man kans nit behalten. nichs mer dan bis Gott beuolen; der behalt dich in lang wiriger gesundheit.

Datten uff Samstag vor S. keterina tag.

Faustina Amerbechin
din getrüwe schwester.

X.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 175.)

Basilio Amerbachio, Juri civili in Academia Tubingensi operam danti, filio charissimo.

S. P. Raritas nunciorum isthuc euntium, Basili, facit, ut rarius quoque ad te scribam. Quanquam quid attinet frequentius, cum te et tua recte habere, et si quid præter utriusque expectationem incideret, nuncium abs te huc missum iri confidam; id quod ne prætermittas volo. Cæterum ut ad literas tuas 7. Cal. Novembr. acceptas compendio respondeam, macte istius tui instituti esto, fili charissime, quo paternis te admonitionibus pariturum scribis. Sic omnipotentis dei mandato satisfit, sic itur ad astra. Eas sane παραινέσεις non eo consilio fieri scias, quod tibi diffidam — ecquid parens minus possem? — sed quod iuvenis rerum inexpertus admonendus venis, ne incautior circumveniaris. Proin plæraque ita exaudias velim, ne modum excesseris. Est modus in rebus, inquit Poëta, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Nam ad studia quidem toto pectore amplectenda te sum adhortatus, quæ tamen tempestiva esse convenit, habita valetudinis et oculorum ratione. Sumptus item tales intelligo, quales frugi et ingenuum adulescentem decent. Equidem non minus sordes quam luxum odi. Frugalem te cupio, mi Basili, non κυμινοπρίστην aut sordidum; non magis certe quam perditum nepotem ac tui profusum, id quod in victu, vestitu, et reliquis ad communia vitæ officia pertinentibus intelligas licebit. In primis vero, fili mi, Deum time et reverere, cuius regnum si ante omnia quæsieris, et

ad eius sacrosancta præcepta temet composueris, reliqua omnia cumulatissime suppeditabuntur. An libros Argentorato acceperis, proximo nuncio scribes. De aureo Lusitano nuper misso, quid communiter isthic fieri soleat edoctus, ad interrogata tua sic respondeo. Si qui ex convictoribus domi tuæ dominam strena munerare solent, tibi idem faciendum; si vero nulli, rursus tibi nihil temere novandum esse; ne vel novi moris author, vel captationis insimulatus male audias. Quas notas si te effugere posse credideris, *τοῦ ξενίου ἕνεκα καὶ εἰς μνημόσυνον* gratæ voluntatis dominæ ut des consulo. Idem sentio de horologio harenario Præceptori tuo dando, cui cum te tuis moribus, quatenus ex ipsius literis intelligo, adprobaris, fac tui similis sis, et ita te geras, ne ulli de te iusta conquerendi materia præbeatur, cum domi tum foris erga omnes comis, benignus et nemini molestus, inprimis vero præceptoris et sociæ observans. Pecuniam, si qua pro vestibus conficiendis et reliquis indigueris, a Bibliopola accipias licebit, dato chirographo, quod simul atque ad Isingrinium missum fuerit, curabo ut nomen dissolvatur. Quid agas, et quos in studiis legalibus progressus facias scire cupio, Basili, fili mi, maximeque te valere cupio. Nostri omnes valent et te plurimum salutant, inprimis vero Iuliana; nisi proxime ad se quoque scripseris, invectivam minatur. Bene vale, fili charissime. 20. Novembr. vel 12. Cal. Decembr. Anno M. D. LII. Basileæ.

Temporis angustia excludor, quominus ad clarissimum dominum Vuarnbulerum præceptorem tuum scribere possim. Cui tu me reverenter etiam atque etiam commenda. Scribam proximo nuncio.

Bonifacius Amerbachius,
parens tuus.

XI.

Bonifacius Amerbachius filio Basilio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 174.)

Basilio Amerbachio, Iuris studioso Tubingæ, filio bene dilecto.

S. P. Hodie octavus agitur dies, Basili, cum per illustrissimi Principis nuncium ad te scripsi, quæ tum in mentem venerunt et scribenda videbantur. Nunc vero cum nihil occurrat, Petro nuncio iam sub vesperam præter expectationem discessum suum isthuc adnunciante,

ne nihil scribam, hoc quod maxime desidero scribo et repeto, nempe ut bonas horas bene colloces, atque valetudinem tuam diligenter cures. Si quid ad me velis, aut si qua re indigeas, per eundem Petrum tibi probe notum tuto significare poteris. Ornatissimo Domino Præceptori tuo munus a Molinæo acceptum muneri mitto, quod propter novitatem, ne verbis ornare cogaris, minime ingratum fore confido. Bene vale, Basili, fili dulcissime. Postridie D. Catharinæ. Basileæ Anno MDLII. Nostri omnes te plurimum salutant.

Bonifacius Amerbachius Parens tuus.

Nudius tertius Gallus quidam me convenit, duos libros repetens quos nescio a quo de Montfort (si probe memini) nunc Tiguri agente commodato accepisses; nec tamen nomina librorum sive authorum tenebat, addens, postquam Tigurum rediisset, per literas se acturum esse. Redde igitur tu me certiorem, an et quos tu libros commodato acceperis, et ubi nam sint. Commodato accepta restituenda erant, mi Basili, in tempore, vel saltem in discessu tuo me de his certiorem reddere debueras.

(Redditæ 3. Decembr.)

XII.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 6.)

Celeberrimo Iurisconsulto D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

S. Exoptatissimas, pater charissime, 20 Novembris scriptas eiusdem mensis die 26 accepi literas, ex quibus quantum voluptatis acceperim, difficile est explicare. Quid enim suavius, quid iucundius mihi accidere potuit quam charissimum patrem, dulcissimas sorores omnesque amicos nostros intelligere recte valere, presertim cum ex literis huc missis intellexerim, rumore perceperim, atque ab ipso nuntio, supra modum pestilentiam Basileæ grassari, audierim. Velit Deus optimus maximus, ut tam læti de te nuntii sæpissime adveniant. Verum illud (quod tua, pater, venia dictum velim) neque præceptor meus neque cæteri qui audiunt, satis admirari possunt, qua ratione, cum tam atrox apud vos sit pestilentia, qua ratione, inquam, fiat, ut tu ibi habitare velis neque in locum salubrem, donec sese remittat

lues illa, te conferas; nam illud philosophi non ignorare te, qui omnia nosti, existimant, qui interroganti cuidam, quo pacto tutissimus ab eo quis esse posset morbo: Si confestim, inquit, a loco pestifero eruperis, si longe fugeris, si tarde redieris. Itidem tibi quoque, salva enim dignitate potes facere, agendum existimant, ut te amicis, nobis liberis tuis atque inprimis reipublicæ conserves. Sed sutor ultra crepidam, quod dici solet; quapropter, mi pater, condonabis, si quid secus, quam oportebat, amore impulsus scribo. De mea valetudine, quæso, ne sis sollicitus; nam Christi gratia optime habeo, et si quid præter spem accideret, proprio id nuntio, quemadmodum mones, significarem. Locus hic plane a pestilentia tutus est; quamquam enim in aliis partibus regionis huius non obscura ipsius emineant exempla, nulla tamen hic omnino eius hic apparent vestigia sperantque medici propter incumbens frigus hoc anno a lue illa immunes nos hic futuros. Iam ut ad lectiones atque studia mea veniam, Juris civilis professores sunt tres tantum hic, quoniam in locum Sichardi alius nondum est substitutus. Ex quibus D. Nicolaum primum audio; is profitetur Cod. de donationibus materiam; ea absoluta, quod propediem fiet, præscriptiones aggredietur. D. Chilianus Voglerus proxime Institutionum libros exorsus est, quem et ipsum profitentem accedere soleo; D. Iac. Cappelbockii digestorum professoris lectiones non frequentavi, eas enim parum utilitatis habere existimat præceptor meus, tum quod in explicando minime explicet, sed involvat potius, tum quod de minoribus, quam exponit, non adeo arduum existimat titulum, quin absque doctore commode intelligi possit. In Pontificio iure Doctores duo sunt, quorum alter, nimirum D. Gebhardus Brastpergius, quem de litis contestatione in sext. titulum explanantem audire hactenus solitus sum, non profitetur. Solet enim princeps noster singulis annis forum suum iudiciarium huc collocare, ad quod semper unus ex professoribus iuris, ut assessoris fungatur officio, deligitur. Itaque fit, ut plus minus duodecim hebdomadibus is, cui ea mandata est provincia publice, ne quid de aliis dicam feriis, non doceat, occupationibus nimirum principis impeditus. Alter, D. Caspar Vollandius, tit. de ordine cognitionum atque qui sequuntur de iudiciis tractantes explicat; hunc audiam, donec ad functionem suam alter redierit, tum si quid excellens atque utile explicaturus est, haud absurdum et ipsum audire præceptor opinatur. Hi professores, quantum intelligere possum, satis erudite docent, sed plerique eorum negligenter; iam enim propter festos dies, iam propter occupationes principis caussa susceptas, iam propter alia diverticula, quæ studiose admodum indagare solent, publicam intermittunt professionem. Dictando omnia responsa explicant, ut studiosi etiam singula verba, quæ ab iis proferuntur, annotare possint. Solent tum aliquando et aliis verbis suam significare sententiam, sed id brevius. Præter hæc D. Michael Fagus librum Institutionum 2. privatim legendum suscepit, cui singuli auditores pro eo explicando aureos duos solvunt; docebit autem is quotidie neque lectionem ullam propter festos dies, nisi celebriores sint, ommittet, quin et dictando quoque eundem librum explicabit. Huius lectiones ex

consilio D. præceptoris mei ego quoque accedam. Humanarum nullum accedere soleo professorem artium; habet quidem haec schola insignes quosdam artium, ut Scheggium in Physicis, Imserum et Scheubelium in Mathematicis doctores; verum, ut ipse melius nosti, hæc scientiæ ad professionem iuris nihil aut parum admodum faciunt. Ethicorum libros solos vel certe potissimum ad iura civilia perdiscenda prodesse te sæpissime dicere solitum memini. Horum interpres est ordinarius Mathias Illyricus, doctus atque eruditus homo, sed in explicando puerilis, ut mihi multo plus commoditatis percipere videar, si temporis illud, quod audiendo illo consumerem, privatis Ethicorum studiis impendam. Optaveram quoque professorem aliquem, qui Græca recte atque aperte traderet mihi contingere; verum idem Illyricus Homeri iam, ni fallar, Iliada interpretatur; sed ne hanc quoque lectionem audiendam mihi existimavi, cum unica hora sexaginta, septuaginta aut plures versus interpretetur, ex quo facile, quam bene explicet, intelligis. Deinde (quia poetæ, autore Cicerone, aliena quasi lingua loquuntur) maluissem alicuius, qui soluta oratione Historicum aut Oratorem enodaret, audire prælectiones, quoniam mihi iuris studioso multo commodior res illa fuisset. Quin et illud accedit, quod eadem hora Illyricus et Institutionarius prælegunt, quapropter alterius solum audire dictata necessario cogor. Dein nullus hic est qui Ciceronem profiteatur; nullus hic est Cœlius; nam Benignus, doctissimus vir, qui eius libros docere solitus erat, iam in Aristotelis ad Theod. versatur Rhetoricis. Valetudinarius est bonus vir, neque labores neque diuturna ferre potest studia, quamobrem cum ante aliquos annos interpretis optimi laudem sit consequutus, adversa corporis affectio de fama ipsius multum detraxit. Sed tu, pater charissime, quid in his rebus sequendum fugiendumve sit melius nosti. Scripsi quoque ad D. Cœlium eadem de re et in hoc negotio quid faciendum sit ut admoneret rogavi. Hæc de lectionibus publicis. In privatis autem studiis eam quam tu, mi pater, præscripsisti rationem atque modum sequor, videlicet ut lectiones auditas repetam, leges si quæ citantur, quæram, Institutionibus, Regulis iuris atque de verborum significatione titulo quotidie aliquid temporis tribuam; eundem modum quasi optimum mihi præceptor meus præscripsit; verum is et regulas, si quæ inter audiendum aut legendum occurrunt, notandas atque in locos ceu communes digerendas putat, quin et summas Azonis et Hostiensis diligenter Iustinianeo novo (ex Sichardi sententia) evolvendas, quo summaria iuris cognitio paretur, existimat. Cæteris studiis, quatenus per otium licet, reliquum quod superest tempus colloco, ita tamen, ut principali studio nihil omnino ingenii vel necessarii temporis subtrahatur. Forte, quæ πάρεργα illa et extraordinaria sint studia, quæris. Ea nimirum, quæ a iuris disciplina non magnam discrepantiam, sed summam potius concordiam atque affinitatem habent, Ethicorum atque Politicorum libri, videlicet Aristotelei, tum etiam Ciceronis quæ scripsit volumina, adhæc, quatenus privatis lucubrationibus consequi licet, Græcum professorem, ut qualemcunque eius linguæ cognitionem, quatenus ad iura perdiscenda necessaria est, conse-

quar, interpretari conor. Quod ad victum attinet, bene atque laute a præceptore meo tractor. De habitatione autem mea sic habeto. Cum apud D. Nicolaum præceptorem meum non tantum loci fuerit, ut hypocaustum cum uno aut altero consodali habitare potuerim, et nuper sese commodum vaporarium atque cubiculum obtulerit, bona cum præceptoris venia in id migravi. Præceptor enim meus si ad familiam, quæ certe magna est, liberis nimirum quatuor, ancillis tribus, convictoribus sex, præter patrem atque matrem familias consistens, respiciamus, domum angustam habet, cui non plura quam tria hypocausta insunt, quorum unum familia, alterum, quod minime amplum est, duo convictores tenent, tertium superest, quod ipse incolit, atque ut et ego ibi studerem voluit. Quæ ergo cur non ibidem manseris caussa est, inquies? Optime nosti, mi pater, domum iurisconsulti nunquam esse vacuam, sed semper de iure interrogantibus plenam atque refertam, talesque frequentissime caussas incidere, quas de æquitate quærentes occultissimas esse neminemque nisi de iure rogatum ea scire volunt. Cum vero præceptoris domus nunquam non frequentetur, facile intelligis, quam æquo animo laturi sint, qui de iure quærunt, alium, præterquam eum quem animi secreta sui tenere volunt, ea audire. Exeundum est ergo, donec is, qui causam expositurus est suam, intus eam absolverit, aut si maneam, quis est qui inter colloquentes (cum studia ab omni strepitu locum requirant remotum) agere quidquam possit? Ad hæc liberi quoque aliquando præsente, absente vero alii, ut cum sororio præceptoris qui in eodem habitat colloquantur, sæpius ingrediuntur musæum. Vides igitur, mi pater, quantum temporis interim amittendum sit. At vero is, quem iam inhabito, locus tutissimus est ab omni tumultu. Ibi cum unico solum convictori habito, qui nullo modo inducit quemquam, qui in studiis remorari me possit. Est etiam locus ille, de quo loquor, in collegio situs, amœnus, salubris, utpote orientem spectans, ad lectiones audiendas ut commodissimus, ita auditorio admodum propinquus, a domo præceptoris mei non longe distans, quin si aliam domum, quæ conducta iam est, præceptor meus adierit, propter vicinitatem omnium commodissime habitabo neque minus commode de studiis colloqui atque quærere, quam si in iisdem cum præceptore ædibus habitarem (ut ipse quoque testatur D. Nicolaus), possum. Lectiones quoque auditas cum contubernali repetere (nam iuris studiosus est), si quid dubii inciderit, conferre singula commodissime nemineque impediente possumus. Verum obiicies: Quid hoc moris est, alibi habitare quam eo in loco ubi cibum capias; quid? solusne noctu in plateis versaberis? Ego vero frequentissimum in hac esse urbe respondeo, alibi studere atque alio in loco comedere, et vix decimam studiosorum partem eadem in domo et habitare et cibum sumere et præceptorem meum duos præterea, qui idem quod ego faciant, habere. Ad alterum vero, me noctu non solum in plateis versaturum aio, nam contubernalis is, de quo locutus sum, est etiam convictor præceptoris mei, præterea non est periculosum præsertim in ea civitatis regione, qua eundum mihi est, versari. Quin et si iam egressus ædes ipsius non fuissem, post par-

vum certe tempus hoc faciendum erat. Nam domus illa, quæ iam ei locata est, hypocausta duo solum eaque angusta habet. Postremo ut alibi sim præceptori commodius est; nam cubiculum libris ante (ut audio) oppleverat, ut nihil spatii reliquum esset, quod mea caussa postea non licuit facere. Libri mei ante hebdomadas tres allati sunt, pro quibus illico precium vecturæ et reliqua quæ debebam, nimirum vectigal, solvi. Bene vale, pater charissime, familiam et D. Jacobum Parochum meo nomine saluta. Tubingæ. III Non. Decemb. Anno 1552.

Obedientissimus filius **Bas. Amerbachius.**

XIII.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8 fol. 8.)

Celeberrimo Iurisconsulto D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo, Basileæ.

S. P. Hodierna die omnino mihi, quod dicitur, Petrus nuntius ille *θεὸς ἀπὸ μηχανῆς* visus est. Præterquam enim quod literas tuas, quibus mihi dulcius contingere nihil potest, attulit, etiam de valetudine tua atque familiæ certiorem fecit, tum etiam, quod minus sæviat, quam vulgo hic ferunt, pestilentia, indicavit. Attulit præterea contra Parvas Datas Curiæ Romanæ Molinæi commentarium, quem una cum literis, ut iussisti, præceptori tradidi. Is tibi pro eo gratias agit, et literis, ni fallar, testabitur. De studiis atque valetudine mea plenissime iam perscripseram; nam D. Henr. Hecklinus sese per nuntium nescio quem missurum pollicitus erat literas meas, verum ut video, antevertit me tabellarius ille, quod non admodum moleste fero, cum iam longe commodiorem, qui et tutius et celerius adferat, nactus sim. In iis ergo de habitudine corporis mei studiis aliisque rebus fusissime scripsi, quæ, ne cantilenam eandem canam, iam prætereo. Quod in extrema epistolæ tuæ parte de libris quibusdam scribis, miror quenquam esse, qui a me petere tales audeat; nam comes ille Petrus de Monfort, cum Basileæ ante annum studiosus esset, commodato quidem dedit mihi Astrolabium Stofleri, quem tamen ante menses plus decem Vermodo reddidi librum. Vermodus enim eius, dum hic esset, familiarissimus, quasi procurator in omnibus fere, dum hic ageret, fuit negotiis. Alterum quoque ab ipso accepi, nimirum Bebelii facetias, exiguum libellum, quem uno aut altero asse comparare quis potest. Eum cum restituere dicto Vermodo (propter absentiam Comitis illius) vellem, renuit, addens eum talia non curare. Eum libellum inter meos invenies. Est pessime a studioso quodam in Collegio Augustiniano habitante compactus, in membrana vilissima, impressus Tubingæ, si recte memini, in octava forma, ut vocant, habet folia fortasse decem. Inscriptio talis est: Facetiæ Henr. Bebelii. Reddes igitur, mi pater, egregium id volumen, si petierit. Cur enim non ita appellem,

cum Comes de eo litem moveat? Sed quî accidat nescio, ut tam longi temporis spatio eum a me nunquam postularit, cum id optime licuisset, iam absente me tibi facessat negotium. Quapropter rogo, mi pater, ne existimes mea culpa hoc qualecunque, sed ipsius potius inertia atque negligentia fieri. Bene vale. Tubingæ. 3. Decemb. Anno 1552.

Tuus obedientissimus filius **Basilius Amerbachius.**

(Redditæ 10. Decembr. 1552.)

XIV.

Nicolaus Varnbülerus Bonifacio Amerbachio.

(Cod. Basiliens. G. I. 9. fol. 24.)

Iureconsulto et philosopho clarissimo doctissimoque Domino Bonifacio Amerbachio I. V. D. Domino et amico suo observando. Basileæ.

S. P. D. Quemadmodum ex responsis tuis te semper iudicavi quasi magistrum ἐπιεικίας in iure nostro, ita etiam in amicitiis colendis et amicorum erratis ignoscendis et cognoscendis de te plane iudico, qui tam amanter non modo excusationem meam accipias, sed etiam tanta mea excusatione apud te non opus fuisse scribas. Quo nomine tibi habeo gratiam et rogo ut adhuc eam iuxta tuum perpetuum et in omnibus rebus observatum ἐπιεικὲς ita intelligas, non quod de tua notissima mediocritate unquam dubitaverim, sed ne debitam tibi reverentiam quacunque ratione exhiberem. Quod profecto et facio lubens et faciam perpetuo. Non enim possum mihi satis gratulari de illa tua summa amicitia mecum constituta, quam etiam præstantissimo tuo pignore corroborasti, filio scilicet tuo unico meæ fidei commisso et quasi dedito. Itaque nihil mihi optabilius posset contingere nihilque magis desidero, quam adversus pignus hoc tuum mihi pugno tuo traditum ita exhibere, ut, quemadmodum tibi directa pignoratitia actio adversus me competit, ita mihi contraria quoque competat aliquando plenissime, non quidem in eum tristem eventum, de quo Pomponius noster scribit creditori contrariam dari ob pecuniam medicis datam, cum ægrotaret servus pignori datus, sed in alia facti specie ab Ulpiano proposita, si servos pignoratos artificiis instruxisset creditor. Quo in iudicio utrinque freti utriusque æquitate ita vellemus nos exhibere, ut rixas illas ab Ulpiano propositas evitaremus, dum de oneroso debitore et delicato creditore, ut nosti, scribit. Iam quod scire desideras de filii tui rationibus, qualem se mihi exhibeat,

quos progressus faciat, respondeo antea tibi responsum esse. Quod elogium meum brevitatis gratia repeto. Primum enim mihi meæque familiæ eum quem requiro et honorem et observantiam præstat, ut in ipso sane nihil desiderem, sed potius eum aliis meis contubernalibus exemplum proponam ad imitandum. Studiis enim est deditissimus, ut profecto aliquando freno potius quam calcaribus indigeat, sicut est natura et ingenio sedato, tranquillo et nimium pro illa ætate melancholico. Itaque sæpe mihi ad alacritatem quandum est excitandus. Nosti enim Catonianum illud præceptum, interponenda interdum curis esse gaudia. Itaque meo suasu musicis cantionibus operam dat, quibus depellatur illa melancholia et excitentur iuvenes ad honestam alacritatem. Qua in re modum non excedit, ut paternam illam laudabilem ἐπιεικίαν imitaturus et servaturus esse videatur. Quod attinet ad rationem studiorum suorum, consentio fere Gribaldo, nisi quod nonnulla is mihi videatur exquisitius suo potius ingenio quam aliorum convenientia tradere. Ego simplicem hanc viam tyronibus nostris soleo commendare, ut delectis primum doctoribus quos audiant, dictata præceptorum diligenter, quoad eius fieri potest, excipiant, domi repetant et ita repetant, ut in allegatas leges et glossas omnes inquirant, tantisper dum videant effectum, ad quem sunt allegatæ, reliqua ex doctoribus et scribentibus adducta testimonia præsupponant esse vera. Nam non nisi iam mediocriter imbutis usum doctorum concedo, ut quo tyrones impediri et implicari potius iudico quam iuvari. Imprimis autem cohortari eos soleo ad lectionem pandectarum, quæ rectam rationem observantibus non ita difficilis est, et iubeo ut sententias, quas theoricas seu regulas vocant, diligenter annotent et in locos communes redigant, ita ut præter corpora iuris bina (ut ita secundum nostros dicam), præter Azonem et Hostiensem et pauculos quosdam neotericorum libellos, alios vel nullos vel paucos libros tyronibus putem utiles. Sed in his nominatis iam mediocribus progressionibus factis quisque sibi pro sua industria et iudicio facile consulet. Quod filio nostro Basylio eo facilius erit consequi, quo abs te, patre iureconsulto et philosopho sapientissimo et, ut merito dicimus, communi nostro coryphæo, literarum pietatis philosophiæ iurisque prudentiæ fundamentis rectius imbutus ad nos venit, ut propterea cancellarius noster D. Fesslerus (cum superioribus diebus in arce forte mentio tui incidisset et de filio tuo ex me quæreret egoque ei sententiam meam de Basilio exponerem) recte mihi respondisse et acute videatur, cum diceret: Philosophos domi habuit unde disceret. Talis enim profecto est iuvenis, ut commoda sua mediocriter intelligat et ea etiam sequatur diligenter. Quantum in nobis est, conatus suos pro nostra virili iuvabimus cæteraque, ut par est, tam charo pignori tuo subministrari curabimus.

Legimus hisce diebus literas tuas ad principem nostrum illustrissimum scriptas de altero Sichardo conducendo, quam deliberationem tuam collegio nostro gratissimam fuisse scias. Sed quid agatur hic aut quid Princeps in hac deliberatione constituat, proxime fortasse tibi explicabo. Mihi interim est commissa (sed non passibus æquis) Sichardi lectio

vicaria, cui ut non sum par viribus ingenii, ita non opto ea me investiri, sed potius cupio Gribaldum aliquem, Molinæum, aut alium virum clarissimum nobis adiungi, qui non tantum scholam nostram illustret, sed etiam excellenti sua doctrina nos quoque reliquos doctorellos erudiat. Ita enim sum affectus, ut inter doctiores potius versari gestiam quam inter indoctiores. Quare si ita rationes principis tulerint, cura et effice talem tantumque virum nobis procurare. Postremo habeo tibi gratiam pro tuo munere mihi optatissimo. Legam enim Molinæi librum avide multis de causis, tum etiam ob eam, ut intelligam quo crimine doctissimus vir exilium meruerit. Ego tibi nihil *ἀντιδώρων* possum mittere præter gratiam, quam servabo reddendo, quam etiam tuum illud *ἐπιεικὲς* boni consulet, cui etiam adscribo quidquid est erratorum, item insulsas hasce literas et quidquid tandem deprecationem meretur. Erit etiam deinceps semper *ἄσυλον* meum apud te tua philosophia, id est *ἐπιεικία*. Vale. Et Nisæo nostro, item Cælio Curioni, viro doctissimo, salutem dico. Cui adhuc scribam. Moram hanc secundam apud eum, quæso, excusato. Thubingæ IIII Decembr. anno salut. MDLII.

Intellexi fratris mei Jo. Ulrici uxorem hac lue quoque apud vos decessisse relictis liberis duobus, quos etiam audio pictori cuidam esse commendatos educandos. Hoc igitur officii abs te rogo, vir clarissime, ut per aliquos de tua familia inquiras, num recte et honeste curentur et proxime me quoque certiorem facias. Si quid enim opus foret pro eorum sustentatione, ego fratris nomine subministrabo et deinceps purificato aëre de transferendis iis ad nostros cogitabo.

Tuus **Nicolaus Varenbulerus.**

(Redditæ 10. Decembr. 52.)

XV.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 178.)

Basilio Amerbachio Iuris studioso Tubingæ, filio charissimo.

S. P. Charissime Fili. Ad literas tuas mihi nuper a Petro exhibitas quominus *κατὰ κεφάλεον* respondere possim, augustia temporis excludor. Nam de hoc nuncio a Principis Georgii scriba admoneor, cum intra horam abiturus et mihi ad præceptorem tuum liberorum fratris sui causa scribendum esset. Scribam proxime ad singula. Nunc tantum habeto. Si præceptori tuo migratio tua placet, mihi non displicere, modo ea libertate ad

licentiam non abutare. De Paratitlis Azonis et Hostiensis præceptoris tui sententiam non improbo, si modo castigata exemplaria habere posses. Quæ ab eodem petas licebit. Alioqui mirum in modum torqueberis et velut mus in pice vix te explicabis. Verum tamen, est ea in re præceptorem cunctationem tuam regere, si in labyrinthum ob mendas incideris, posse. Cura valetudinem, fili dilectissime. Vestimentis te muni honestis et reliquis necessariis. Sordes, ut nuper scripsi, non minus odi quam luxum superfluum. Si qua pecunia indigueris et quanta tibi opus fuerit, a bibliopola accipe. Reddam hic Isengrinio. Bene vale, optime fili. Proximo nuncio omnes rescribent huius nuncii ignari. Admonebo omnes, ut literas adornent ad primam mittendi occassionem. Rhetoricam Aristotelis tibi commendatissimam habeas. Liber est aureus et ex quo Hermogenes, Cicero et omnes tam græci quam latini sua mutuati sunt. Si modo per lectionum multitudinem licet, aut si videbitur, domi legito. Habes Victorii et Cellarii in eundem annotationes. In die Thomæ apostoli. A°. 1552.

Bo. Amerbachius Parens tuus.

(Redditæ 2. Januarii 1553.)

XVI.

Juliana Amerbach Basilio fratri.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 236.)

Dem wollgelerten basilius amerbach, minem lieben bruoder, wonhafft zuo thübingen.

Schwesterliche trüw vnd Liebe, sampt minenn frintlichen grüsen. Der allmechtig verlihe dir ein nüw glückhafftig sellig jor durch seinen lieben sun Jesum Christum vnssern herren amen. Min rech lieber bruoder basilius, wiss vnsern lieben herren vnd vatter, ouch faustinen vnd iren herren vnd kinder, ouch mich vnd vnss alle früsch vnd gesund, von den gnaden gottes. sollichs von dir zu hören, wer vnss allen ein hertzliche grosse fröd. Dem noch, lieber bruoder, mich von hertzen fast frödt, das du mir geschriben hast, vnd insunders, das du früsch vnd gesundt bist. gott der herr welle dich alzit derbi erhalten. vnd scheick dir hie mit ein fatzellettlin, zuo einem guotten jor, vnd bitt dich so recht früntlichen allso verguott zu haben, vnd das nit verschmöchen, dann mir die zitt zuo kurtz worden ist, das ich es nit noch minen gefallen hab kennen machen. Lott mich gott der herr gesund vnd früsch, wil ichs dir in kurtzer zitt ein schöners scheicken. Min lieber bruoder, du schribst mir ouch, wie ich das solle in keim argen vff nemen, das du mir nit geschriben hast; daruor

beheitt mich der lieb gott; den ich woll erkenen kann, das du nit alzit will haben magst, diewill du aber ander Lüten geschriben, hab ich vermeint, du soltist mir ouch geschriben haben. hiemit erhallt dich gott in gesundheit; der herr lott dich fast grüssen und das gantz hussgeseind. Datum basell fritag den 20 Jenners, des 1553 jar.

Din trüwe schwester,

Juliana Amerbachin.

XVII.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. I. 16. fol. 4.)

Basilio Amerbachio, Iuris studioso Tubingæ, filio charissimo.

S. P. XII Cal. Ianuarii nuncium forte fortuna istuc properantem nactus, Basili, verbis tum malui tribus *καὶ ἀποτόμως* ad binas novissimas tuas literas a Petro allatas, quam nihil respondere, nunc vero plus temporis et ocii habens, ut earundem capita singulatim repetam. Cur principio pestilentissimum cœlum hic, quod plerique ex amicis tecum mirari scribis, declinandum fuga minime censuerim, sic, mi fili, ætatis et publicæ functionis ratio tulit. Qui et huic malo prophylacticis et vel inprimis omni in Christum servatorem collocata fiducia occurri posse existimarim. Nam quam *ἔξω βελῶν* et tutus agat qui deo sese solida fide committit, ex Davide nominatim etiam de pestilentia loquente edocemur. Cadant licet a latere tuo, inquit, mille, et a dextris tuis decem millia, ad te tamen non appropinquabit vel pertinget. Tuum tamen et bonorum virorum mei amantium adfectum non possum non gratum habere, quos, quod lues hæc iam remiserit abieritque, sine sollicitudine esse iubeo. Dein de professoribus cum Iuris tum reliquarum ingenuarum artium quod scribis, iucundum fuit cognovisse. Non dubitabam omnis generis præclaros viros istic docere. Cæterum quia tu Iuri Civili destinatus es, tibi curandum erit eos audire, quibus institutum tuum et adiuvari et absolvi possit. Etsi vero disciplinæ omnes interconcathenatæ dicantur et altera alterius opem exposcere, in tanta tamen vitæ brevitate, cum mens humana percipiendis omnibus vix sufficiat, recte cæteris ad id quod instituis absolvendum magis necessarias prætuleris. Ecquis autem inficiabitur futuro iureconsulto Rhetorices ac Philosophiæ rationalis simul et moralis cognitionem magis accommodatam et necessariam esse, quam vel physices, vel mathematum, quorum tamen gustum hic agens percepisti. Quin et in professori-

bus disciplinæ cui mancipatus es audiendis, tyro ac novus Iustinianeus delectu opus habes, ac præceptoris tui consilio uteris ut ratio studii recte instituatur. Dimidium facti, inquit Poëta, qui bene cepit habet. De qua quid sentiam, prioribus literis tibi deliniavi, et præceptorem tuum mihi suffragari ex literis tuis intelligo. Nam quod is ad parandam summariam iuris cognitionem paratitla Azonis et Hostiensis tyroni minime negligenda putat, non improbo, modo castigata exemplaria haberi possint, aut ipse cunctationem tuam, sicubi tibi menda negotium faciunt aut te suspensum tenent, regere pro suo candore non gravetur. Inprimis autem in Azonem plus operæ et olei impendes, cum in Hostiens. complura extent, nescio an iuris studioso in hac temporum metamorphosi aliquando usui futura. Illud *καθόλον*, Basili, fili mi, diligenter admoneo, studia tua ne præcipitaveris, et in iis non tam celeritatem quam curam adhibendam noris. Satis cito, si satis bene. Quin nimium properantes serius absolvere, vetus verbum testatur. Unde non immerito ille apud Platonem: Dum festino, inquit, omnia celeriter percurrere, tardior sum: *σπεύδων τάχυ πάντα διελθεῖν μᾶλλον βραδύνω*. Id quod nimirum præstiteris, si principio *τὰ προπαιδεύματα* et prima disciplinæ Iuris elementa non neglexeris. Idcirco prioribus literis tyronem te in Iustiniani Institutionibus cum tractatibus de verborum et rerum significatione, item regularum Iuris omnem operam impendere volui. Quibus si Azonis paratitla ad summariam Iuris cognitionem parandam accesserint, satis festinasti et promovisti hoc anno, et *ὄντως* experiere talia iacta fundamenta esse, ut quicquid posterioribus annis superstruxeris *γνήσιον* et firmum futurum, nec metam adfectanti ad carceres subinde redeundum esse. Deinde vero cum lectionis thesaurus memoria sit, eaque præcipue cura intellectu et ordine comparetur aut constet, ut cura in omnibus plurimum momenti habet, ita bonam memoriæ partem in eo deprehendes consistere, si omnia a te lecta vel audita cures probe et penitus intelligere. Ordinem porro non servatum quid nisi confusio comitatur? Fac sane, pro Iustiniani sententia, omnium meminisse et nullius oblivisci divinitatis potius esse quam humanitatis; ordo tamen servatus efficiet, ut eorum quæ exciderint fere meminisse possimus. Venio ad extraordinaria tua quibus de scribis studia. Quæ ita modereris, fili mi, ne immodicis laboribus non tam valetudinem et studia tua ordinaria nihil promovisse, quam profligasse et impedivisse videaris. Homo es, non ferrum. Quod caret alterna requie, recte cecinit poëta, durabile non est. Honestis itaque voluptatibus vel eruditis cura hæc animi, immo animus ipse defatigatus reficiendus est et ventriculi oculorumque imbecillitati deambulationibus a cibo sumpto consulendum. Superest postrema prioris epistolæ pars, in qua tam accurate migrationem tuam ex ædibus præceptoris excusas rationibus compluribus adductis, quas, non repugnante præceptore, haud difficulter admitto. Ita pro boni et ingenui iuvenis officio videris, ne libertas in licentiam degeneret, qua deteriores plærique reddi solent. Ut ergo comis erga omnes et benignus, ita bonorum familiaritate dumtaxat uteris, id quod Parens etiam atque etiam volo

et mando. Hactenus ad priorem epistolam. In posteriore epistola nihil est quod magnopere responsionem requirat. Edoctus a te de libris comitis Petri a Monfort tibi commodato datis et Vermodo mandatario redditis, exceptis Bebelii faceciis, si quis denuo interpellarit, erit quod respondere possim. Monui prioribus literis te semel atque iterum de parandis tibi vestimentis honestis, et si qua pecunia, ut verbo dicam, in victum et stratum opus haberes, eam a bibliopola Isengrinii debitore mutuaveris. Ad hæc cum nihil responderis et Isengrinius nihil sibi ab eodem bibliopola scriptum adfirmet, nactus Christophorum Hess, Illustrissimi Principis secretarium, viginti coronatos Cæsarianos ad te mitto, quos his literis bona fide reddendis inclusos invenies. Cura valetudinem tuam, Basili, fili charissime, cuius tuendæ causa Hugvaldus ad te massam mittet, ex quibus catapocia Rufi, ut appellant, confici solent prophylactica et adversus pestem præsentissima. Bene vale, fili bene dilecte, et de omnibus rebus tuis me proximo nuncio certiorem redde. Basileæ XII Cal. Februa. Anno, quem tibi felicem et faustum imprecor, MDLIII. Omnes nostri te salutant.

Bonifacius Amerbachius,
tuus Parens.

Basili, ne in diffidentiæ suspitionem caderem, Christophoro Hess, Principis Secretario qui hic annuos reditus solvit, numeravi viginti coronatos Cæsarianos, a quo petes et accipies. Hæc summa, quæ est triginta aureorum (nam bini coronati semper tres aureos sive florinos in moneta constituunt), si non sufficiat, non obstat quominus et plus, quantum sufficit, a bibliopola mutuo accipias dato chirographo, quod simul atque Isengrinius mihi exhibuerit, eidem satisfaciam. Sed et si præceptor tuus pro victu aliquid petat, aut quicquam sibi pro tempore, quo istic vixisti, debeas, quod summa sub adventum tuum numerata iam fortassis absumpta sit, si tantum a bibliopola habere non potes, fac prima scribendi occasione oblata admonear, ut bono viro debitum in tempore solvam, atque adeo nos in bonis nominibus inveniamur. Cura valetudinem, fili mi, et bonas horas bene colloca.

XVIII.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 179.)

Basilio Amerbachio, Iuri Civili operam in Academia Tubingensi navanti, filio charissimo. Tubingæ apud Clarissimum d. Nicolaum Varnbulerum.

S. P. Accipies propediem, Basili, cum fasciculo Literarum ad te, coronatos cæsarianos viginti (æstimatio triginta florenorum est in moneta) quos hodie mane d. Christophoro Hess,

Illustrissimi Principis Wurtenbergensis Secretario, hinc Argentoratum, nisi fallar, et inde Tubingam proficiscenti, ad te perferendos dedi, φιλοστοργίᾳ et adfectu paterno, ne fortassis vel pecunia ægeas, vel nihil a Bibliopola Isengrinii habere possis, sollicitus. Uti quidem licuisset in iis perferendis feliciore diplomate, et citius ad te pervenissent, si d. Philippus Bechius, qui has tibi exhibet, vir doctus, recta istuc iter instituens, me in tempore admonuisset. Sed cum serius, hoc est a prandio huius diei, quo Christophorus hodie mane discessit, nun quid ad te velim interpellet, mutandi consilii nulla superest δύναμις; immo satis cito diceris omnia accepisse, si sat bene, quandoquidem in mora modici temporis nullum est periculum. Hoc, fili mi, quia nullam scribendi occasionem oblatam prætermittere institui et nihil iam aliud occurit, te scire volui, et velut προδρόμῳ admonere. Bene vale, Basili charissime. XXII. Ianuarii. Basileæ Anno MDLIII. Cura valetudinem. Faustina plurimum te salutat, forte fortuna, dum has obsignaturus essem, adveniens mecum cænatura.

Bonifacius Amerbachius, Parens tuus.

(Redditæ 30. Ianuarii 1553.)

XIX.

Nicolaus Varnbülerus Bonifacio Amerbachio.

(Cod. Basiliens. G. I. 9. fol. 27.)

Dem Erwürdigen Hochgelerten Herren Bonifacio Amerbach, der Rechten Doctorn etc. zuo Basel, meinem insonnders günstigen lieben Herren zubehannden. Basel.

S. P. D. Cum hesterno die ad matrem meam charissimam in solum illud natale quod dulcedine cunctos ducit, Lindavium dico, appulissem, quo pietatis et ἀντιπελαργείας χάριν evocabar, reddebantur matri meæ literæ perquam officiosæ et christianæ a Matheo Han pictore, cive vestro et altore orphanorum fratris mei, quibus sane mater nosque omnes affecti sumus gaudio non vulgari. Intelleximus enim pueros valere recte et institui et educari, ut decet et par est homines liberos et Christianos. Etsi autem id iam antea ex tuis literis, vir præstantissime, Thubingæ intellexerim, cum mihi significasses binis tuis, quo studio vere Christiano et amico rem præsentem ipse coram inspexisses et talem reperisses, qualem ipse fere tuis in castris velles, cuius officii pientissimi nomine et habeo et ago tibi gratias maximas, tamen iucundissimum nobis fuit matri id iam perscribi vernacule et a matre mihi id indicari, quod ego aliis iam impeditus non memineram. Itaque pictoris literæ occasionem mihi præbuerunt commemorandi Matri tuam virtutem, qua nos complecteris. Quod licet faciam sedulo, satis tamen et condigne non possum, sicut etiam tibi tantæ tuæ erga me humanitatis et benevolentiæ, qua vir præstantissimus et clarissimus Tyronem me comprehendis, debitas gratias vel habere vel referre non possum, nisi quod habendo relaturus

pro simili sim. Iussit mater inter prandendum suo nomine rescribere propter nuncii, concivis vestri, abitum celeriorem, quod facio ut prandens illotis manibus ita stylo illotissimo, sed eo nomine ad notam tuam et iudicatam omnibus ἐπιεικίαν appello. Et rogo matris meæ nomine pictori vestro id indicari et rogari simul, ut qua cœpit pietate et humanitate, ita pergat liberos istos orphanos sustentare tantisper, dum de patre eorum certiores fiamus. Ego enim spondeo vel potius per literas constituo, me satisfacturum alteri huic parenti, viro optimo, ut proinde pro omnibus, quibus opus est, me interpellare possit et debeat. Mater etiam hoc mihi commendavit, ut Nepotibus suis suo nomine xeniolum aliquod mitterem. Sed cum literis includi commode non posset, dixi me per te id effecturum. Velis itaque, vir clarissime et christianissime, singulis dare coronatum dimidiatum, et uxori pictoris tertium coronatum dimidium, quasi eos mater iam mitteret, eosque mearum rationum expensis inferre. Quod dimidiatos mittit, excusat mater hac ratione, quod habeat liberos nepotes et pronepotes circiter quadraginta, quorum speratam hæreditatem ita cupiat administrare, ut potius defuncta gratiam quam viva largitione sua fucatum amorem captasse videatur. Pietatem autem avitam Nepotibus hisce Basiliensibus non aliam spondet quam nobis cæteris omnibus. Quam etiam, si pii esse et obsequentes perrexerint, re ipsa sentient; eo igitur nomine diligentius admonendi sunt. Reliqua omnia committimus fidei optimi viri eiusque uxoris, cui non ad remunerandam tantam suam benevolentiam hunc tertium coronatum dimidium, sed tantum ad significandam gratiam suam Mater mittit et familiam totam pictoris cum nepotibus salutat diligentissime. Iam ne nostri tantum, sed et tuæ rei memor sim, de Basylio nostro paucis hoc scribo, reliquisse me eum Thubingæ recte omnia agentem, nisi quod scabie nonnihil laborare cœpit, tolerabiliter tamen, ut credam ei potius medicamenti loco fore quam ægritudinis. Pergit diligenter et ita, ut tantum indicatore, non monitore opus habeat, idque paucis. Eleganter sane meo iussu disputavit abhinc octavo die publice argumentis a se inventis et in medium allatis. Quam industriam suam cum animadverterem, cœpi cogitare de via, qua brevi ipse quoque me præside respondeat disputatione publica. Iam enim tantum argumentatus est quam alium respondentem me quoque præside. Ego in præsentiarum plura non possum scribere. Tu, vir optime et doctissime, hæc boni consulas, non tantum turbulentissime scriptum, sed etiam nimium fortasse audacem interpellationem tuarum occupationum. Ego, ut vere dicam, te amo et colo plurimum et filium tuum habebo mihi commendatum, ut nihil amplius dicam. Vale igitur in Christo cum omnibus quos charos habes. Festinanter inter prandendum quoque. Lindavii 18 Febr. Anno sal. MDLIII.

Tuus **Nicolaus Varenbulerus.**

(Exhibitæ in die Mathiæ Apostoli 24 Februarii A°. 1553.)

XX.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 181.)

Basilio Amerbachio, Iuris studioso, Tubingæ, filio charissimo. In hern doctor Niclausen Vuarnbuler Haus ze Tubingen.

S. P. Respondi ad novissimas tuas literas, Basili, præterito Ianuario fuse per Christophorum Hess, Illustris Principis Secretarium, cui tum viginti quoque coronatos Cæsarianos (quorum estimatio triginta aureorum in moneta est) ad te perferendos in numerato et usus tuos dedi. Id quod mecum prandens se facturum bona fide recepit. Nec multo post Philippum Bechium istuc cogitantem, nullam salutandi te occasionem obmissurus, literis meis instruendum censui, cum nihil aliud haberem, priorum significatricibus. Verum cum nihil interea a te adferatur, diuturnum silentium tuum, ut res solliciti est plena timoris amor, mihi non levem sollicitudinem pareret, nisi id nunciorum raritati, ob cœli hyberni iniurias, acceptum ferrem, et ex d. Varnbuleri præceptoris tui literis, nudius tertius sub vesperam redditis, et Lindaviæ scriptis, te recte valere intellexissem. Itaque, Fili mi, si quid ad me voles, per hunc nuncium Basiliensem licebit. Plura non possum, de nuncio sero admodum admonitus. Cura, quæso, valetudinem. Et quia præceptor tuus te scabie nonnihil laborare cœpisse scribit, pro ea profligenda depellendaque Medicorum consilio uteris. Malum hoc, præter expectationem, mihi tecum commune est. Nostri omnes valent et te salvere iubent et quam rectissime valere cupiunt desiderantque. Bene vale, Basili mi, et expectationi de te conceptæ, ut fecisti hactenus, respondere perge. Nam præceptor tuus a studiis diligentia et morum te integritate commendat. Fac tui similis permaneas et ita studia tua modereris, ut valetudinis quoque ratio habeatur. Basileæ. 4 Cal. Mart. dominica Reminiscere. Anno MDLIII bene mane. Si ex præceptore rescire poteris quantum in victum solvendum sit, certior factus prima occasione oblata mittam, missurus et si quibus te indigere intellexero. Vale et vale perpetuo.

Bonifacius Amerbachius,

parens tuus.

Basili, es sind allerley ordnung von dem durchleuchtigen etc. vnserm gnedigen herren hertzog Christoffen etc. vssgangen in druck ze Tubingen, als die Landtsordnung. Item von den Bettlern vnd almuosen. so du die vnd andere, was im druck ausgangen, bekummen magst, wellest mir kauffen vnd by disem botten zuschicken.

(Redditæ 3. Martii 1553.)

XXI.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 182.)

Basilio Amerbachio, Iuris studioso, Tubingæ apud ornatissimum d. Nicolaum Varnbulerum agenti.

S. P. Cum d. Ioannes Iacobus Hocklin a Steineck, proprinceps sive locumtenens Illustrissimi Principis nostri Montpellgarti, hac in ducatum Wirtembergensem transiens, nunquid ad te velim roget, tametsi die dominico præterito per nuncium Basiliensem quæcunque volebam scripserim, ne tamen receptum meum de nulla occasione prætermittenda institutum deseram, te, fili mi, priorum literarum per nuncium missarum, nullo alio argumento sese offerente, admonendum simul et salutandum esse duxi. Itaque ut per nuncium, ita et per d. Hocklinum de rebus tuis ad me scribere poteris. Cura, si me diligis, valetudinem; et sic existimes velim, nobis tua valetudine firmiore nihil iucundius adnunciari posse. Etiam atque [etiam] vale, Basili, fili charissime. Basileæ V. Non. Martii Anno MDLIII. Clarissimo domino præceptori tuo plurimam meo nomine salutem.

Bonifacius Amerbachius,
Parens tuus.

(Redditæ 11. Martii 1553.)

XXII.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 9.)

Clarissimo iurisconsulto D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

S. Quarto iam a te, Pater charissime, literas accepi, primas quidem Ianuarii die 2, alteras per D. Philippum Bechium trigesima eiusdem mensis allatas. Præterea D. Christophorus Hessus præceptori meo Doctori Nicolao fasciculum literarum XII Cal. Febr. scriptarum simul cum coronatis 20 tradidit; iam qui tibi hanc exhibiturus est, quartam attulit epistolam. Atque ut ad eas omnes λακωνικῶς (quoniam propter temporis brevitatem pluribus non licet) respondeam, iucundissimum mihi fuit de tua valetudine certiorem fieri, neque

minus gratum illud, quod luem hanc sese remisisse cognorim, ut iam sine sollicitudine tuto esse possim. Dein quod de Azone et Hostiense scribis, te, modo castigata possim habere exemplaria, eorum lectionem non improbare, ita habeto. Præceptor meus ex Gallia multos sibi curavit afferri libros, quos partim sibi servavit, partim aliis tradidit. In his quoque Azonis et Hostiensis summæ fuerunt ex editione ultima et, ut ipse ait, correctissima, quas mihi etiam ne petenti quidem dedit, præterea Angelum quoque super Institut. Nam me commode interpretem ad Institutiones adhibere posse existimat. Verum ego quoniam sæpissime te dicere solitum memini, interpretes et præsertim Angelum propter prolixas quæstiones Iustinianæo novo non tam prodesse quam obesse, ideo solum si solutiones contrariorum a gloss. adductæ non satisfaciant eum adhibebo; cæterum, quando prolixas illas et intricatas quæstiones, notabilia tractat, supervacuum existimo me in illis legendis quicquam temporis ponere, cum Papinianistis atque Lytis potius ista conveniant. Cætera quæ de instituendis tum studiis non tam docte quam pie atque amanter a te conscripta sunt curabo, ut quam diligentissime sequar. Superest tertiæ epistolæ pars ultima, in qua de 20 coronatis Cæsarianis me admones, quos, ut supra dixi, præceptor meus D. Nicolaus ipse recepit et adhuc habet; nam cum non sponte tradiderit, postulare ab illo, ne in diffidentiæ suspitionem caderem, nolui. Quod autem iubes, ut illum, si quid pro tempore quo hic vixi debeatur, interrogem, feci, verum is summam sub adventum numeratam nondum absumptam respondit, quod esse verum existimo. Nam nullus est ex commensalibus qui plus quam 50 aureos quotannis solvat, itaque viginti illi aurei, quos ab initio solvi, fere sex mensium sumptus complectuntur. Præterea cum iam coronatos 20 a Christophoro Hesso receperit, habet cum prioribus aureos 54, quæ pecunia per annum sufficiet. A bibliopola Vuolfgango Conrado superiori mense Ianuario aureos quinque mutuo accepi, quos te redditurum Isingrinio dato chirographo sum pollicitus. Promisit ille præterea se posthac plura, si velim, daturum, quapropter non est, mi pater, quod vel hac vel alia in re mea caussa sis sollicitus. In postrema epistola nihil fere quod responsionem magnopere requirere videatur esse existimo. Nam diuturni mei silentii caussa tabellariorum fuit penuria. Scabiem iam balneis aliquot fere omnino depuli. Constitutiones Illustriss. Principis, prout iussisti, per præsentem nuntium mitto. Porro quod titulus præter generales Ducatus et Ptochotrophiorum constitutiones etiam de Sylvis aliquid pollicetur, quia tamen princeps ea, quæ de iis constituta sunt, evulgari noluit et Typographo ne ea venderet sub iuramento precepit, ideo hoc in libro ea non sunt adiecta. Præterea hoc anno emissa est eiusdem Principis de caussis matrimonialibus constitutio, quæ et ipsa nemini datur. Præter has igitur negat ullos se habere huiusmodi argumenti libros typographus, præterquam de ecclesiasticis rebus constitutiones, quæ quia sub prelo adhuc sunt, presens nuntius eas tibi afferre non potuit. Sed dabo operam, ut et hæc et alia, si quæ occurrerint, proxime habeas. Cum D. Ludovico Grempio nuper egit

Senatus Universitatis, ut in locum D. Sichardi substitueretur, et pro salario sexcentos, ut audio, obtulere aureos; sed quid profecerint ignoro. Vehementer cuperem aliquem hic esse, qui diligenter profiteretur; nam nostri Doctores plerique adeo negligentes sunt, ut dici non possit. Princeps propediem cum tota Aula redibit Stutgardiam. Familiam totam meo nomine saluta atque Iulianæ pro strena ad me transmissa gratias age. Bene vale, pater charissime. IIII Non. Mart. Anno 1553. Literas, quas ad D. Nicolaum misisti, ipse propter absentiam suam nondum recepit. Iterum vale, pater charissime.

Tuus obedientissimus filius
Basilius Amerbachius.

(Redditæ 4. Non. Martii A°. 1553.)

XXIII.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II 14. fol. 185.)

Basilio Amerbachio, Iuri civili in Academia Tubingensi operam danti, filio charissimo. Tubingæ apud D. Varnbulerum.

S. P. Viginti coronatos Cæsarianos, Basili fili mi, quos præterito Ianuario Christophoro Hess, Ducali Secretario, istuc perferendos commiseram, penes Præceptorem tuum d. Varnbulerum resedisse, ex literis tuis nudius tertius adlatis intellexi. Verum alio consilio missos literæ tum satis, nisi fallar, declararunt. Nam quæ ad te, eos in usus tuos mitti nominatim exprimunt, in alteris vero ad præceptorem tuum eorundem ne verbo quidem memini. Quod autem tu eos, ne diffidentiæ nota premaris, minime, nisi ultro offerantur, petiturum te subiungis, tuo arbritratu pro commoditate quod voles, fili mi, statues. Proin iisdem coronatis apud Præceptorem remanentibus, cum Septembri præterito sub adventum tuum viginti etiam aureos Rhenenses in auro eidem numeraris, et ego eiusdem haud ita dudum hic fratris sui liberis tres dimidiatos coronatos Francicos solatos muneris ergo exposuerim, ordinaria illa quinquaginta aureorum summa, a convictoribus pendi solita, iam a te sex dumtaxat menses istic agente, si nihil excurrat, persoluta videtur. Cuius rei tu calculum subduces. Interea tamen, quia tu quoque vestiario, calciario, διδακτρῳ, cænaculario et reliquis opus habes, quæ vel ad disciplinam pertinent, vel cottidianus usus requirit, nulla

faciendæ istic pecuniæ ratio commodior occurrebat, quam ut Frobenium, Episcopium, Henrichum Petrum et reliquos interpellarem, qui omnes et singuli, quicquid a sui ordinis viris Tubingæ agentibus acceperis, suam fidem interponere sunt parati. Speciatim vero Isingrinius noster mandatum habet de alloquendo Vulffgango Conrado bibliopola vestrate, ut tibi quantacunque pecunia opus habeas, et quoties volueris, accepto cheirographo adsit; id quod se curaturum recepit. Cui et quinque aureos, quibus de scribis, exhibita manu tua solvam, et debitor creditorem protinus dimittam. Quare, Basili, te pro sordido in victu vel vestitu haberi nolim, sed auream potius mediocritatem amplecti velim. Reliqua in tuis literis proximæ epistolæ ad te scribendæ argumentum suggerent prebebuntque. Hæc volui per bibliopolas Francofordiæ cum vestris acturos. Illud tantum addam, Illustrissimi Principis Vuirtenbergensis statuta sive leges nuper evulgatas me accepisse. Quod autem quæ de saltibus, venationibus, item matrimoniis nemini communicari causaris, non est, mi Basili, cur labores. Matrimonialia denuo Princeps evoluto Novembre ad me miserat, pro ut in publicum emittenda videbantur, meam denuo requirens sententiam, quam scripto suæ celsitudine aperui. Nec dubito mihi petenti, qua singulari erga me est benevolentia, nihil denegatum iri, si modo per te, quid vel sub incude sit, vel publicum acceperit, admonear. Bene vale, Basili fili charissime. Omnes nostri de salvum volunt ac plurimum salvere iubent. Basileæ Lunæ. 13. Martii Anno MDLIII. P. Perna, quæ in Cicerone tuo desiderabantur, hodie restituit. Cum has essem complicaturus, a Celio commodum mihi dono adferuntur libri selectarum epistolarum et orationum iam recens *καὶ ἀπὸ τῶν κιννα͵θευμάτων* prodeuntes, in quibus binæ ipsius ad te literæ et totidem tuæ ad ipsum statim a principio visuntur. Id quod te scire volui, ut bono viro gratias agas, tuo nomini faventi et expectationem magnam de te concipienti, cui satisfacere curabis. Præceptorem tuum meis verbis reverenter salutabis.

Bonifacius Amerbachius,
Parens tuus.

(Redditæ 4. April. 1553.)

XXIV.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 11.)

Clarissimo iurisconsulto D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

S. Etsi superioribus diebus per nuntium Basiliensem plenissime omnibus de rebus certiorem te fecerim, charissime pater, tamen cum hi Studiosi Sangallenses ad vos reditum

pararent, nolui eos sine meis ad te proficisci literis, quæ etiamsi nihil aliud continerent, tamen de mea prospera certiorem facerent valetudine simulque te totamque familiam meo nomine salutarent atque quam diutissime salvum esse optarent, denique hos adolescentes tibi de meliori nota commendarent. Quapropter ut de tua salute audire mihi iucundissimum est, de qua etiam novissimis tuis per D. Ioannem Iacobum Höcklinum allatis certior sum factus literis, ita hos Studiosos Sangallenses (qui ut melius sua possint absolvere studia ad vestram revertuntur Academiam) tibi quam commendatos esse cupio, tum quia, cum hic essent, illis familiarissime usus sum, tum quia eorum integritas atque erga bona studia ardor hoc meretur. D. Nicolaus, præceptor meus, propter plurimas occupationes tibi respondere non potest. Iubet igitur ut suo nomine tibi salutem dicam simulque cur non scripserit caussam aperiam. D. Cælium iam meis non alloquor literis, quia quod scribam plane nihil est. Bene vale, Pater charissime. III Id. Mart. Anno 1553.

Tuus obedientissimus filius **Basilius Amerbachius.**

(Redditæ 21. Martii A°. 53.)

XXV.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 183.)

Basilio Amerbachio, Iuris studioso, Tubingæ, filio charissimo.

S. P. Basili fili. Quo consilio viginti coronati ducali secretario Christophoro Hess præterito Ianuario dati fuerint, ex novissimis literis meis Isingrinio Francofordiam eunti et in reditu istuc profecturo aut Vulffgango Conrado bibliopolæ vestro easdem commendaturo intelliges. Nam si, ut verbo repetam, missi coronati apud præceptorem tuum permanserint, de pecunia in usus tuos mutuo danda idem Conradus ab Isingrinio mandatum in meliore, ut loquimur, forma accipiet, ut nihil tibi defuturum sperem. Cæterum ut ad reliqua epistolæ tuæ IIII. Non. Mart. scriptæ capita respondeam, quod de Azonis et Hostiensis paratitlis adnuncias, gratulor tibi plurimum, cui emendata exemplaria obvenerint; plus tamen ego te olei et operæ in Azonem ponere velim. Angelus in Institutiones verbosus est et longior quam Iustiniani, rudes adhuc et infirmos studiosorum animos multitudine ac varietate rerum minime onerandos volentis, præceptum admittat: nisi fortassis tu inter

rudes non venias numerandus, qui non ἀναλφάβητος (quod in Gallia et Italia frequens est), sed linguarum et philosophiæ cognitione instructus feliciore diplomate in studiis legalibus uti possis, iam etiam per sesquiannum iuris auditor. Inter Institutionarios, ut appellant, Ioannes Faber mea sententia plus iuditii habere videtur, et Bellonum nostrum Portium recognovisse, et ab Isingrinio excusum non ignoras. Nec infœliciter aliquot ex iunioribus laborarunt, ex quibus te Klingium habere puto. Dum hæc scriberem, venit in mentem præparationis in iuris civilis institutiones Antonii Massæ Gallesii. Sed ut libellum mitterem, ad manum non erat. Iudicio in omnibus legendis utere et cunctationes tuas ad præceptoris tui consilia refer. Proin quod doctores plærosque tam negligentes in profitendo conquereris, dabit hoc nobis occasionem maiorem de Patavio cogitandi, in quo et tuam sententiam haud illibenter audiam. Gribaldum enim futuro Augusto hic adfore spero. Instituerам ipse istuc iter, Illustrissimum Principem quarundam rerum causa compellaturus et, ut sepius evocatus sum, salutaturus. Verum cum prophyλακτικά contra pestem præterita hyeme devorata mihi scabiem excitarint, velim nolim domi tantisper maneam necesse est, dum tam molestum hospitem abigere liceat. Hæc occurrunt nunc, mi fili, aliud agenti. Nam Petrum nuncium nactus occasionem scribendi oblatam minime negligendam censui. Tu de omnibus rebus tuis me certiorem reddas quæso. Sanctogallenses mihi commendatissimi erunt vel tuo nomine, a quibus literas nudius quartus accepi. Celius ad te scribit et munus chartaceum mittit tui plurimum amans et studiosus. Clarissimum dominum præceptorem tuum officiose et reverenter meo nomine saluta. Quominus ad ipsum scribam, negotia in causa sunt molesta admodum et alio me vocantia. Fratris sui liberos hic agentes recte valere, neptis literæ, nisi fallar, declarabunt. Omnes nostri, quam te salvum cupiunt, tam valetudinem cures quæso. Bene vale, mi Basili. Lunæ 27. Martii postridie Palmarum. Anno MDLIII. Basileæ.

Bonifacius Amerbachius,
Parens tuus.

Non est cur quicquam nuncio solvas, ego omnia expediam.

(Redditæ 3. Aprilis 1553.)

XXVI.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 12.)

Clarissimo Viro D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

S. Etsi (quemadmodum nuper scripsi) 20 coronati huc a te transmissi a præceptore recepti fuerint, tamen non est, mi pater, quod ea in re mea caussa sis sollicitus. Solet enim

præceptor meus discipulis suis commensalibus, quando volunt, mutuo dare ideoque iam semel et iterum, si quid vellem, ut admonerem, mandavit. De Azone Hostiense et Angelo sequar quod iubes. Portii commentariis a Bellono recognitis, nec minus etiam Klingio uti, si postulet necessitas, commodissime possum; nam contubernalis meus eos habet authores, qui mihi libentissime, ut utar iis, concedit. Antonii Massæ Præperationes semel atque iterum, cum adhuc Basileæ essem, legi et quid velit in recenti memoria habeo. Quod in postrema epistolæ tuæ parte de profectione Patavina rogas, breviter respondeo, mihi (modo tibi non displiceat) eum locum studiis meis videri aptiorem. Nam præter professores accedunt crebræ disputationes studiosorum et Doctorum concursiones, quam rem admodum utilem testatur D. Gribaldus. Præceptori quominus (quemadmodum mandasti) salutem dicerem, in caussa fuit eius absentia. Nudius enim quartus ad fratrem suum Margraviorum Badensium Cancellarium ob sua quædam negotia profectus est. Bene vale, charissime pater. III Aprilis. Quod ad omnia brevius respondi, in caussa fuit temporis brevitas, vix enim semihoræ spatium fuit, quo tibi rescriberem. Iterum vale.

Obedientissimus filius **Basilius.**

(Redditæ 10. Aprilis A°. 53.)

XXVII.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 187.)

Basilio Amerbachio, iuris studioso, Tubingæ, filio dilecto.

S. P. Cum hodie a prandio, quod cum Domino Francisco Duareno, primi nominis iureconsulto ac supremo apud Bituriges legum professore, sumpsi, domum redirem, Petrum nuncium forte fortuna in Rheni ponte obviam habui, Illustris Principis Georgii ac tuas mihi literas offerentem; quibus perlectis etsi nihil invenerim quod maximopere nunc responsionem requirat, Magistro tamen Henricho Pantaleoni, Theologiæ prolytæ, commendatitias minime denegandas esse censui, cum quod nullam scribendi, pro paterno affectu, occasionem oblatam prætermittere soleam, tum quod hunc tui a puero bene studiosum et amantem habueris. Itaque amicus amicum et civis civem amice et civiliter complecteris. Quin si qua in re sibi commodare possis, eius te expectationi conceptæ respondere velim, ne studio vel bene-

volentia inferior deprehendaris. De profectione Patavina deliberabis. Nam tantum abest ut displiceat, ut ea etiam mihi summe probetur. Proximo Augusto Gribaldus huc redibit. Hoc amplius addo, si antea Galliam videre malles, per me non stare quominus Biturigas ad Duarenum mittare, tibi pro pii præceptoris officio nullibi defuturum. Gribaldus tamen sibi persuasum habet te Patavium ad se profecturum esse. Omnia, mi fili, tuo arbitrio, ubi nam manere aut quo proficisci velis, relinquo. Omnes nostri recte valent et te plurimum salvere iubent. Bene vale. Eadem fere hora qua tuas a Petro accepi, X. Aprilis Anno MDLIII. Basileæ. Præceptori tuo plurimam meo nomine salutem. Ad Celium curabo tuas perferri literas. Præpropere

Bonifacius Amerbachius,
parens tuus.

(Redditæ 14. Aprilis 1553.)

XXVIII.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 13.)

Clarissimo viro D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

S. Ad novissimas tuas, Charissime Pater, per Petrum allatas tum temporis quantum semihoræ spatium suggessit, quamquam brevius, ea tamen quæ necessaria videbantur, rescripsi, quæ iam, ne actum agere atque eandem semper occinere cantilenam, quod veteri dicitur proverbio, videar, non repeto. Venio igitur ad alteras Franckofortum per Isingrinium missas literas, quæ mihi postridie quam tuas a Petro acceperam a Vuolphgango Conrado redditæ sunt, literas in quibus potissimum qua ratione 20 Coronatos Ducali Secretario commiseris tractas, quæ mihi omnia ex prioribus incognita non erant literis. Nam in meos usus eam transmissam huc esse pecuniam, binæ tuæ tum per D. Bechium, tum per D. Christophorum Hessum huc transmissæ optime declararunt. Præterea præceptor meus in suis literis te de iis ne verbo quidem meminisse testatus est. Verum quoniam D. Christophorus puerum ad D. Nicolaum misit, qui se habere pecuniam et literas ad eum spectantes nuntiaret, nolui post receptos nummos molestus esse, ne in diffidentiæ caderem suspitionem, cum præsertim proxime aliquot Thaleros (quos bibliopolæ ob libros conglutinatos et pro lecto

debui) dederit et iam sæpissime, si quid præterea vellem, ut admonerem mandarit. Quod ad alteram eiusdem epistolæ partem pertinet, Vuolphgangus Conradus, cum nuper a Franckofurto redisset, nihil non mihi est pollicitus atque suum ab Isingrinio mandatum susceptum multis declaravit. Venio ad postremam partem, in qua iubes ut ea quæ ab Illustrissimo Duce Christophoro constituta sunt, sive ea absoluta, sive sub prælo adhuc sint, prodam. Ego præter alios nuper tibi notatos et infra scriptos evulgata comperire non possum. Si autem eiusdem materiæ alii fuerint evulgati, proxime indicabo. Sunt autem hæ quas vidi constitutiones:

Instruction und Form, wie die Wald und Vorstmeister Rechnung thun sollen. Item alia: Instruction und Form der Rechnung, so die Kassen Vögt thun sollen. Item alia: Instruction, wie die Amptleut ihr Rechnung stellen sollen. Postremo et alia: Form wie die Oberkait den Amptleutten ihrer Rechnung halb Kuntschaft geben solle.

D. Ioannes Iacobus Hocklinus hac die ad D. Nicolai ædes, in quibus me habitare putabat, venit atque se abiturum me insalutato protestatus est, quod mihi D. Nicolaus in cœna indicavit. Eum igitur, ut has tradam ac reverenter salutem, cras summo mane conveniam, quoniam ante meridiem discessurum audio. Bene vale, charissime pater. Thubingæ Vesperi. 12. Aprilis. Anno 1551.

Tuus obedientissimus filius **Basilius.**

(Redditæ Iovis ante Georgii 20. Aprilis 1553.)

XXIX.

Nicolaus Varnbülerus Bonifacio Amerbachio.

(Cod. Basiliens. G. 1. 9. fol. 31.)

Clarissimo excellentissimoque Iureconsulto D. Bonifacio Amerbachio, Domino et amico suo perpetuo colendo. Basileæ.

S. P. D. Si vales, bene est; mea quidem familia cum patre valet divina gratia recte, cæteraque fere se habent commode. Porro quia ipse scio quam paternus amor adversus filios res sit plena solliciti timoris, ante omnia de Basylio nostro tibi explicandum est, illum apud me bene valere munerique suo ita operam dare, ut pietati prudentiæ iuris omnique virtuti deditus esse videatur, in quibus etiam progreditur ac proficit feliciter. Quod ut

facto aliquo tibi testemur, commisi ei hisce diebus locum aliquem in iure nostro perviden-dum eiusque loci explicatores diligenter legendos, ut de rebus illis in utramque partem disserere queat ac paulo post etiam in publicum prodeat disputandi certamen; id quod ante festum pentecostes plane futurum speramus. Conclusiones ipsas non dum fecimus, sed ma-teria est Moræ subtilis et utilis ad cognoscendum. Cuius fundamenta iam suo Marte recte mihi ex Bartholo et Iasone percepisse videtur. Brevi mittemus tibi disputationem impres-sam, ut et nos habeamus exemplum aliquod iucundissimi honoris, Nervæ patris et Nervæ filii; inscribetur enim disputatio illa Amerbachii filii ad Amerbachium patrem. Sed hæc de filio tuo hactenus, qui mihi est merito charus. Nunc nonnulla tibi de fratris mei Io. Ulrici liberis subiicienda sunt, quibus profecto, ut par est, afficior vehementer, non quod non recte apud vos curentur et educentur, sed quod æquius esset eos apud suos potius quam peregre esse. Et profecto ego ipse haud gravate eos ad me reciperem, si modo de patris voluntate et rationibus essem certior, de quo intra menses sex nihil accepimus certi. Ubi primum autem vel redierit vel scripserit, officio patrui aut potius alterius patris non deero. Interim rogo Matheum Han, virum optimum et pium, ut, sicut cœpit, ita pergat eos curæ habere; ego liberaliter ei satisfieri curabo meaque fide omnem eorum sumptum esse iubeo. Exposuisti etiam eis, pro ut ex patria scripseram, tres dimidiatos coronatos, quos iam acceptos intuli; tibi vero, Amerbachi optime ac præstantissime, pro pietate illa tua adversus liberos istos nostros permagnas habemus gratias, quod tam diligenter eos curari cures. De quo mihi non satis honorifice et magnifice possum scribere, quam tuam pietatem omnipotens ille rerum creator compensabit tibi. Sed et nos ad gratificandum tibi perpetuo parati erimus. Bene vale, vir doctissime, et nos, ut cœpisti, amare perge. Thübingæ Idib. Aprilis. Anno Sal. MDLIII.

Tuus **Nicolaus Varenbulerus.**

Non tantum occupationibus nostris, sed et luctui in quo versamur gravi condonabis tumultuarium meum scriptum. Amisimus enim brevi temporis spatio fratres et cognatos undecim, quod merito toti cognatione tristissimum est et horrendum.

XXX.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8 fol. 15.)

Clarissimo viro D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

S. P. Iucundissimum mihi fuisset, Charissime Pater, Magistrum Heinrichum Pantha-leonem iis honoribus afficere, quibus dignus erat, atque benevolentiam meam factis declarare;

sed quoniam id commode fieri non potuit, vehementer doleo. Invitandus quidem erat in domum Præceptoris mei, ut eo saltem indicio meum amorem declararem; sed cum alii convictores hospites adducere non consueverint, absurdum novi quippiam in alienis ædibus moliri existimavi, cum præsertim Hera nihil comparari posse, etiam duplicato pretio, nunquam non conqueratur. Sed tamen, quod potui, id prestiti. Quamprimum illum advenisse comperi, adivi, salutavi amice et civiliter, quantum potui, complexus sum, meam operam, si ea indigeret, obtuli, quotidie invisi et semel cænam cum illo sumpsi, ut sperem, quod in ædes D. Nicolai non deduxerim, haud moleste illum laturum. De Patavina profectione nuper quid mihi placeret scripsi, quod ideo amplius displicere non potest, quia video eandem tuo etiam calculo probari sententiam. Galliam quoque, si commode fieri potest, videre cupio, sed an conducat iam aut post aliud tempus eam invisere, tu optime nosti. Quapropter quod mihi conducibilius existimaveris, id sequi certum est. Bene vale, Charissime pater. Thubingæ. 13. Calendis Maii Anno 1553.

Tuus obedientissimus filius **Basilius Amerbachius.**

Exceptus est hic D. Panthaleon benigne, tum a Duce Christophoro, tum a Comite Georgio eique prædicaturæ conditio (ut vocant) oblata est, et facultatis Theologicæ nomine semel atque iterum invitatus est, quod ideo te scire volo, quoniam D. Panthaleon ut hoc facerem et se tibi commendarem, cum has literas iam absolvissem, me rogitavit. Iterum vale, Charissime Pater.

(Præsentatæ Beati Marci Evangelistæ 25. April. A°. 53.)

XXXI.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 16.)

Amplissimo viro D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

S. P. Charissime Pater. Cum hic nuntius iam iam ad me pervenerit seque Basileam profecturum promiserit, nolui neque hanc oblatam scribendi occasionem, quemadmodum et hactenus facere consuevi, omittere, neque nuntio ut te alloqueretur ansam non præbere. Itaque si quid ad me perscribere velis, tabellarius iste bona fide sese ad me perlaturum pollicetur. Quod præterea significem nihil est, præsertim cum per D. Henrichum Panthaleonem (quem tibi meas attulisse non dubito literas) tunc temporis satis, quæ videbantur

expedierim. Scripsit, ni fallor, Aemilius Ferretus tractatum de Mora, libellum parvum Lugduni excusum; eum quoniam hic apud Bibliopolas reperire non possum, cum eo indigeam, quæso, charissime Pater, huic nuntio, qui suscepturum se eum promittit, tradas. Vale, charissime Pater, omnesque meo nomine saluta. Raptim Thubingæ 5. Maii Anno 1553.

Tuus obedientissimus filius
Basilius Amerbachius.

(Redditæ die Martii ante Ascensionem domini A°. 53.)

XXXII.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 188.)

Basilio Amerbachio, Iuris studioso, Tubingæ, filio bene dilecto.

S. P. Literis identidem suis præceptor tuus, Basili, te a vitæ honestate et studiis, in quibus fœliciter progrediaris, prædicat. Novissimis autem te studiorum tuorum publica etiam disputatione specimen propediem æditurum esse adnunciat. Macte virtute. Mihi quidem hæc auditu sunt gratissima; sed futura longe gratiora, si eodem tenore et cursu tui similis esse perrexeris. Nec enim ulla reverentia aut maiore officio filius Parentem demereri potes, gentis meæ columen. Aemilii Ferretti libellum de mora, uti petieras, mitto, missurus et alia, quæcunque tuis studiis accommoda significaveris. Isingrimo nuper Francofordia reverso et chirographum quinque aureorum offerenti satisfeci. Præterea eidem florenos quindecim et bacciones decem præceptoris tui nomine solvi. Nam ut eam summam solverem, præceptoris tui chirographum tum etiam oblatum sive exhibitum effecit. Id quod tibi quoque indico, ut rationibus pecuniæ præceptori datæ inferre possis. Gribaldus sub Augustum huc veniet. Accepi nudius tertius a Francisco Alciato, Andreæ hærede et in profitendi munere successore, literas bene disertas et mei amantissimas; ut sic optionem habeas proficiscendi Patavium aut Papiam. Verum de his alio tempore plura. Nunc enim temporis angustia excludor, et balneis operam danti nihil minus quam scribere vacat. Bene vale, fili charissime. Pridie Ascensionis domini. X. Maii. Anno 1553. Omnes nostri valent et te valere desiderant. Si qua pecunia indigueris, bibliopolam Conradum tibi adfuturum mihi persuasissimum habeo. Vide ut honeste vestiaris. Iam sepius scripsi, et repeto me non minus sordes quam luxum odisse. Cura valetudinem, mi fili.

Bonifacius Amerbachius, Parens tuus.

XXXIII.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 17.)

Amplissimo Viro D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

S. P. Grata tibi atque optata quæ preceptor meus de vita studiisque meis suis ad te perscripsit literis esse non dubito, charissime pater; præstabo igitur et enitar, ut in dies magis magisque hæc nascens de me duplicetur opinio. De publica mea disputatione nihil tibi antequam certa et explorata omnia haberem scribere volui, ne ante Victoriam, quod dicitur, triumphasse viderer. Sed tamen cum studiis non inutile meis existimarit præceptor meus, si aliquot axiomata publice defenderem, ideo sub initium Caniculæ favente Deo de mora defendere aliquot conabor pronuntiata. Et ideo proximis literis, ut Aemilii Ferreti de Mora tractatum mitteres rogavi, qui, ut ingenue fatear, non tam iuvit quam dubium reddidit. Nam cum ille consulto a Doctoribus (ut apparet) in omnibus fere recesserit, non potuit evenire, quin non multas novas introduceret opiniones. Cuiusmodi, ut de multis unam seligam, ea est, Diem pro homine non interpellare, quæ quidem omnibus nostris non solum absurda, sed etiam plane incredibilis videtur. Scripsit quoque de Mora tractatum Io. Saporta Tholosanus, qui interpretes quoque, ut Neotericorum mos est, in multis non sequitur, minus tamen a trita atque consueta via aberrare videtur. Præter hos veteres quoque *δὶς διὰ πασῶν*, quod dicitur, quandoque dissident; nam ut de eo quod in manibus iam habeo solum Axiomate dicam, Iason in l. vinum ff. si cert. petat. æstimationem quanti plurimi ad tempus moræ refert, Decius autem et Socinus litis initæ tempus spectandum aiunt. Iasonem Zasius, Detium sequitur Alciatus, qui præter cæteros etiam æstimationem illam quanti plurimi non augeri neque minui censet. Itaque, cum tam multæ tamque variæ opiniones incidant, nisi Aristarchus id est præceptor succurreret, plane (ut Cicero dicebat) quos fugerem haberem plurimos, quos sequerer neminem. De D. Francisco Alciato peroratum quod scribis mihi fuit, tu tamen, qui ubi esse expediat non ignoras, ea de re quod videbitur statues. Bene vale, Charissime pater. Raptim Thubingæ 10 Iunii. Is qui tibi has dabit, Musculi filius est.

Tuus obedientissimus filius **Basilius Amerbachius.**

(Præsentatæ 16. Iunii A° 53.)

XXXIV.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 189.)

Basilio Amerbachio, Iuris studioso Tubingæ, filio suo. In des hochgelerten hern doctor Varnbuler haus gen Tübingen zu vberantwurten.

S. P. De tuo vitæ instituto, Basili fili, isthic adhuc per annum manendi, vel potius in Gallias, aut in Italiam, ut ante convenerat, proficiscendi, per hunc Degenhardi Equitis famulum huc rediturum me certiorem facias volo. Iam enim tempus appetit, ut de iis certo commentemur inter nos et concludamus. Equidem pro paterna adfectione, quoquo cogitaris, constitutum tuum ratum habebo, et omnia tuo arbitratu sunto, modo in tempore admonear. Accepi nuper literas a Duareno ex Gallia Biturigibus, accepi et a Francisco Alciato Papiæ in Italia Iura civilia magna cum celebritate profitentibus, humanitatis et officii plenas et ad nihil non sese offerentes. Nec multo post et Gribaldi Patavio literæ allatæ sunt, quocum antea, ut scis, egeramus, qui futuro Augusto se hic adfuturum scribit. Delibera igitur et certo constitue, an isthic potius adhuc per annum permanere, aut si non putaris consultum, quonam studiorum causa profectionem instituere malis. Rarius ut ad te scribam raritas nunciorum efficit, et ne nunc plura possim, temporis angustia excludor, quæ in causa est, ne a Cælio literas accipias, de nuncii evestigio abiturientis profectione ignaro. Omnes nostri recte valent et te valere quam optime desiderant. Bene vale, fili charissime. Lunæ 12 Iunii A°. 1553. Clarissimum dominum Præceptorem tuum meo nomine reverenter saluta; ne scribam præpropera nuncii abitio facit.

Tuus Parens **Bonifacius Amerbachius**.

(Redditæ 18. Jun. 1553.)

XXXV.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 18.)

Clarissimo viro D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

S. P. Literæ tuæ 12 Iunii scriptæ, charissime pater, 17 eiusdem mensis die allatæ sunt, in quibus ut de vitæ meæ instituto te certiorem faciam admones. Quamquam autem in omnibus rebus, quod mihi magis conducat, melius nosti, tamen, quia deliberare me atque

certo, quid sentiam, constituere iubes, faciam. Cum igitur Italiam ab omnibus hactenus summopere prædicari audierim et in ea tot doctorum virorum tam diligentem in profitendo industriam intellexerim, disputationum et concursionum (ut vocant) frequentiam cognorim, maxima semper eam accedendi cupiditate arsi, ut videlicet coram ea, quæ absens ab aliis audivi, videre possem. Quapropter eam spectare iucundissimum mihi erit, ita tamen, si tibi gratum atque mihi utile hoc existimaris; nam si vel hic vel alibi me esse cupias, curabo ut fiat. Plura quæ scribam non habeo, cum ante paucos dies per Musculi filium ad vos euntem scripserim, a quo te meas recepisse non dubito. Bene vale, charissime pater. Præceptor meus te plurima salute impertire iubet. Thubingæ 18 Iunii. Raptim.

Tuus obedientissimus filius **Basilius Amerbachius.**

(Redditæ postridie d. Ioannis Baptistæ 25 Iunii A°. 53.)

XXXVI.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. I. 16. fol. 6.)

Basilio Amerbachio, Iuris studioso, Tubingæ, filio charissimo.

S. P. Ad binas novissimas tuas literas, Basili, præterito Iunio datas, ut *συλλήβδην*, occasionem rescribendi per doc. Carolostadium nactus respondeam. Ad priores sic habeto: sententiam mihi Præceptoris tui, studia tua disputationibus adiuvari existimantis, omnibus modis probari; constat enim huiusmodi ultro citroque collationibus ingenia studiosorum excitari et iudicium acui, modo *φιλαυτία* et nimia altercatio absit, quibus regnantibus non veritas in profundo latens inveniri, sed inventa etiam amitti solet. Ego quidem in loco a te exempli causa literis inserto, nempe æstimationis quanti plurimi, an ad tempus ea moræ an vero litis initæ referatur, item augmentum necne et decrementum accipiat, Socino, Detio, Iasone, Zasio et Alciato inter se variantibus, intercedere, seu meam tibi potius sententiam aperire proposueram; sed negotia præter expectationem ingruentia alio me rapuerunt; quin immo ne otiosus quoque *παναθηναίων* atque adeo post festum, quod dicitur, propter nunciorum raritatem venirem, sum subveritus. Cave autem, fili mi, istiusmodi dissensionum ergo animum despondeas. Ut tot opionibus premamur, interpretibus in tam varias sententias discedentibus, non tam naturali hominum ad dissentiendum facilitati, qua de Ulpianus noster, imputabimus, quam aliis causis, dum vel hic ostentationis quam veritatis cupidior

famam aucupatur, vel ille recepta comuniter veriora esse non ignarus, discipulorum novitatis studiosorum ac ab aliis tradita fastidientium auribus inservit iisque admirationi esse satagens largius salarium captat. Videas porro non paucis latinæ linguæ ignorantiam imposuisse, veterum Iureconsultorum mentem non satis assecutis. Videas et plærosque Philosophiæ cognitione destitutos a pueris nihil aliud quam interpretum commentaria versantes. Qua una vel maxime Iuris candidatum instructum esse oportebat, ut haut iniuria Baldus, vir qui in feliciora tempora incideret dignus, Philosophiam, præcipue moralem, Legum matrem et ianuam appellarit. Proin quid et quantum referat organi sive instrumenti istius quo naturalis facultas in rationem et artem recte et ordine de rebus disserendi redacta est, quam Dialecticen et Rhetoricen appellant, peritiam habuisse, complurium interpretum commentaria satis superque declarant. Itaque, Basili, non quid Iason aut alii sentiant, sed quid vel apertis Iureconsultorum veterum responsis probetur, vel rationi humanæ, quæ tantundem roboris habet, consentaneum sit spectabis. Nec quis dixerit, uti solebant Pythagorici, sed quid dictum sit et qua ratione imprimis ad sacrosanctum Evangelium tanquam ad Lydium lapidem, dein vero ad Philosophiæ theses expendemus. Quod si fortassis disciplinam ipsam Iuris subobscuriorem et difficiliorem hodie, maxime in tanto scriptorum pelago, causeris, memineris difficilia esse quæ pulchra, et, ut Aristotelis verbis utar, *περὶ τὸ χαλεπώτατον ἀεὶ καὶ τέχνην καὶ ἀρετὴν εἶναι*, et laborem omnia vincere, immo *τὴν ἐπιμέλειαν* sive diligentiam ostendere, nihil esse difficile, cuius sibi ipsa mens, authore Seneca, patientiam indixerit. In posterioribus tuis literis pridie d. Ioannis baptistæ allatis, cum ardens illud tuum videndi Italiam et illic doctos audiendi desiderium intellexerim, non obsto, fili charissime, quominus voto tuo abunde satisfiat, et quam plurimas, si velis, cum Galliæ tum Italiæ academias videas, dum cœli gravitate vel bellorum calamitatibus non prohibeamur. Expecto in diem D. Matthæum Gribaldum, ex quo de rebus Italicis edoctus equum ad te protinus mittam, ut huc veniens eundem vel Patavium, si omnia illic salva esse intellexero, comiteris, vel alio mittaris, aut, si nusquam illic tuto liceat, Tubingam post ferias redeas. Interea res tuas componas velim, ita tamen, ne quisquam de abitu tuo quicquam suspicetur, tantisper dum equum misero. Nam si isthuc rediturus non sis, scribam ad præceptorem tuum, virum optimum ac de nobis bene meritum, simulque pecunias mittam quibus et creditores dimittere et bona omnium gratia recedere possis. Bene vale, fili charissime. Martis 18. Iulii Anno MDLIII. Basileæ. Nostri te salutant, et imprimis Celius peregre profectus, antequam filiæ obviam iret cum Gribaldo huc venienti, ut te suo nomine salutarem rogavit.

Bonifacius Amerbachius,
Parens tuus.

Præceptori tuo me etiam atque etiam commenda.

XXXVII.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. II. 14. fol. 177.)

Basilio Amerbachio, Iuris studioso, Tubingæ, filio charissimo.

S. P. Misissem ante dies aliquot equum ad te, Basili, ut huc venires; cupio enim, immo desidero te videre, nisi D. Gribaldi adventum expectare consultius existimarem, a quo de suo, nempe, an denuo Patavii conductus sit, ac de rerum porro Italicarum statu certior reddar; quo, an omnibus rebus tuis conclamatis ac Argentoratum destinatis huc, eundem in Italiam comitaturus, venire debeas, an vero, si nullibi in Italia vel Gallia per cœli gravitatem vel bellorum calamitates tutum sit, easdem res tuas istic relinquere ac post ferias istuc redire debeas, certo tibi significare possim. Cum nudius quartus Cœlius hinc profectus filiæ suæ cum Gribaldo advenienti obviam procedat, spero intra paucos dies mihi non solum equi mittendi, sed et certius quid scribendi opportunitatem adfore. Interea bene vale, fili mi. Schebelium mathematicum sine literis meis pro vetere instituto meo Tubingam repetere nolui, quemadmodum nec nuper d. Carolostadium istac transiturum, a quo meas te iam accepisse puto. Iterum atque iterum et perpetuo vale, mi Basili. Pridie d. Iacobi Apostoli. Anno MDLIII. Basileæ.

Tuus Parens **Bonifacius Amerbachius.**

XXXVIII.

Basilius Amerbachius Bonifacio patri.

(Cod. Basiliens. G. I. 8. fol. 19.)

Clarissimo viro D. Bonifatio Amerbachio, parenti charissimo. Basileæ.

Charissime Pater. Binas a te literas accepi, quarum posteriores Io. Scheubelius 31 Iulii, priores vero D. Carolstadius 10 Augusti attulit, quibus ut respondere copiosius non possim, temporis brevitas in caussa est. Iucundissimum primo mihi fuit ex iis cognoscere, quod abeundi meum consilium probaris, ut videlicet vel in Italiam, vel in Galliam, nisi cæli gravitas vel bellorum calamitas prohibeat, proficiscar; nam ea re mihi gratius accidere

nihil potest. Licet enim professores huius Academiæ docte quidem legant, tamen tanta eorum in legendo negligentia est, ne dicam socordia, ut vix quisquam credat. Quapropter in primis cupio, ne cæli gravitas nostrum impediat consilium; bellum enim non tantum vereor, ut qui persuasum habeam, Venetos raro bella gerere et Academias Galliæ turbulentissimis temporibus salvas esse. Publice conclusiones quasdam, ut nosti, defendi, quas hisce literis adiunctas mitto. D. Cælio quominus scribam, tempus in caussa est. D. Nicolaus cum iam mihi obviam factus esset, iussit ut te quam officiosissime nomine suo salutarem. Bene vale, charissime pater. 10 Augusti Anno 1553.

Tuus obedientissimus filius **Basilius.**

(Redditæ 16. Augusti A°. 53.)

XXXIX.

Bonifacius Amerbachius Basilio filio.

(Cod. Basiliens. G. I. 16. fol. 8.)

Basilio Amerbachio, Iuris studioso Tubingæ, filio charissimo.

S. P. Mitto ad te equum, Basili, ductu Petri cursoris, qui te pedes comitabitur. Nam ne equitem vel a Magistratu vel aliunde habere potuerim, raritas et temporum difficultas obstat. Proin quia d. Gribaldum *πρόδρομος* denuo honorario amplissimo conductum, et omnia Patavii salva esse adnunciat, teque idem Gribaldus, intra dies octo aut ad summum decem hic futurus, pro singulari erga nos benevolentia in discessu secum abducere *ὁμοκαπνόν τε καὶ ὁμοσιπύον* habere volet, res tuas in vas compositas alicui amico istic commendabis prima quoque aurigæ oblata occasione Argentoratum ad Christophorum Riedlingerum bibliopolam perferendas, adiectis signo aliquo, ut me præterito anno facere meministi, et literis, quibus de mercede solvenda aurigæ et vase huc ad d. Io. Hervagium mittendo admoneatur. Proin, fili mi, istinc discessum parans nomina si quæ fecisti atque adeo æs alienum dissolve. Imprimis vero præceptorem tuum eiusque uxorem, præter victus rationem subductam et solutam, *χαριστηρίοις* instar reliquorum convictorum remunerari ne cuncteris. Eam in rem his literis viginti coronatos Cæsarianos cum duobus duplicibus ducatis inclusi, quæ summa si non sufficiat, quantaquanta indigueris, a Vulffgango Conrado bibliopola mutuo accipias licebit sub fide cheirographi, quod simul atque huc transmissum fuerit, Isingrinium in numerato dimittam. Nec erga familiam et liberos pro more reliquorum munificus esse obliviscaris. Quid plura, ita discedens erga omnes te geras, ut oram, quod

dicitur, solventi non solum bene precentur, sed et tui desiderium et memoriam bonis relinquas. Bene vale, Basili. Christus reditum tuum pro immensa sua bonitate prosperare dignetur. Basileæ postridie d. Laurentii XI. Augusti Anno MDLIII.

Præceptori tuo, Basili, pro victu ex animi sui sententia satisfacias. Pecuniæ porro quæ iam ad eum pervenit summam sive quantitatem, nisi fallar, tenes. I. Preterito anno in Septembri istuc profectus statim ab initio viginti aureos Rhenenses in auro solvisti. II. Dein viginti coronatos Cæsarianos, quos ducali Secretario Christophoro Hess præterito Ianuario ad te dederam, ad præceptorem tuum pervenisse ex literis tuis sum edoctus. III. Præterea binis fratris sui liberis et eorundem altrici mandato ipsius sesquicoronatum Francicum dedi, hoc est, singulis dimidiatum coronatum solarem (sunt tres dimidiati) tanquam xeniola ab avia missa, cum ad me Lindavio 18 Februar. scripsisset. IIII. Novissime Isingrinius ex Francofordianis nundinis in Aprili rediens cheirographum mihi signatum obtulit, quo præceptor tuus ut quindecim aureos in moneta et decem batziones in rationes inferendos suo nomine Isingrinio solverem petiit, id quod recepto cheirographo feci, (tum etiam quinque aureis eidem Isengrinio, quos tu a Vulffgango Conrado acceperas, iuxta apochæ tuæ tenorem solutis). Huius pecuniæ, quæ ad præceptorem pervenit, summam in moneta constituere propterea non possum, quod aurei Rhenensis in auro, item coronati Francici solaris et præterea Cæsariani æstimationem istic a nostra variare puto. Tu itaque Tubingensem æstimationem sequaris oportet.

Pro coronide repeto, mi Basili, tibi liberum fore, ac tuo me arbitrio relinquere, utrubi habitare, hoc est, an adhuc per annum Tubingæ manere, an vero potuis nunc in Italiam proficisci malis. Si Tubinga tibi cordi est, literas meas abitionis significatrices præceptori cave des, quin potius intercipe et ei meo nomine plurimam salutem dic. Habitationem tuam, si commodum est, rursus conduc. Nec opus est, ut res tuas conclames componasque, post mensem istuc rediturus. Sin relicta Tubinga in Italiam proficisci mavis et Patavium cogitas, literas meas præceptori offer, et in dispungendis rationibus et reliquis, uti de scripto tibi supra præivi, omnia et singula confice et expedi.

Tuus Parens **Bonifacius Amerbachius**.

Lieber sun Basili. Als ich obgemelte zwentzig keisers kronen sampt zweien doppel ducaten in diesen brieff zuo beschliessen vorhabens, ist zuo mir kommen Hans Ulrich Varnbuler, doctoris Nicolai, dines preceptoris bruoder, vnd hott mich gebetten imme ze lichen drisig gold guldin Rinisch in gold oder golds wærung, die werde sin bruoder d. Nicolaus vff sin handtschrifft von stundt dir wider vberlifern, vnd des mich by guotem druwen vertröstett. als nun gelt vber feld zuo farig sorglich, vnd ich dinem præceptori darinn auch dienen wellen, hab ich im gelichen drysig gold guldin Rinisch in goldt werdt. namlich

goldswerung zemachen für yeden ein vnd drissig basell plapart geben, wie dan yeder Rinscher guldin hie geng vnd bekummen mag werden, vff das er mir ein brieff an doctorem Nicolaum, vnd auch ein handtschrifft geben. Den brieff magst gemeltem dinem preceptori geben, aber die handtschrifft behalt byhanden, legs in der Rechnung in, dormitt dise drisig gold guldin auch verrechnet vnd abzogen werden. Deshalb wirst du in disem brieff nur zwen doppell ducaten finden, ob villicht die zu der vererung dienlich, magst dich erkundigen, wessen vnd wie sich andre dischgenger gehalten haben. Also Summa alles geldt so din præceptor entpfangen oder von sinettwegen durch mich vssgeben:

Item Erstlich als du in Septemher A°. 52. gon Tubingen kumen, hast du im vss minem geheis angeben 20. Rinisch guldin in gold. Wie der gold guldin zuo Tubingen geachtet, ist mir nitt ze wissen, gilt alhie 31. plap. das ist 18. batzen vnd 1. Basell plapart, doch solt du es by der Tubingischen estimation pliben lossen vnd in nitt wyther dan sin guoter
24 gl. will dringen . . . . 20 guldin in gold Rinisch.

Zum andern, in Ianuario nechst verschinen hab ich des Fursten Secretario Christoffen Hessen geben 20 keiserisch kronen, die dinen præceptori lut dines schribens auch worden, so man estimirt zwen für dry guldin (wiewol alhie yede gern gilt 38 plap. 1. fierer) thuot drissig guldin.
30 gl. Volg aber der Tubingischen æstimation . . . . 20 keiserisch kronen.

Zum dritten. In verrucktem Aprili, hab ich Isingrinio vff dines preceptoris handtschrifft (die ich dir auch zuoschick inzelegen) zalt 15 fl.
15 gl. 10 batzen vnd X batzen in muntz . . . . . 15 guldin in muntz vnd X batzen.

Zum vierdten. hab ich lut dines præceptoris schriben vss Lindaw den 18. Februarii, geben vss sinem geheis d. Hans Ulrichen sines bruders zwei kinden yedem ein halbe sonnen kron, desglich Matheus Hanen des malers frawen by deren die kindt wonendt auch ein halbe kron als zu einer vererung von der grossmuoter geschickt, gilt ein sunnen kronen alhie 24 batzen, vnd ein halbe 12 batzen. Sed sequere estimationem Tubin-
2 gl. 6 batzen gensem . . . . $1\frac{1}{2}$ sonnen kronen.

Zum letzten vff hüt hab ich d. Hans Ulrich geben vff sin pitt lut siner handtschrifft (so ich dir auch zuoschicke) drisig guldin in gold (für yeden 31. plapart (thuot in müntz wie ich im zalt 37. fl. 5. plap.) gezelt.
37 gl. 3 batzen Sed sequere Tubingensem estimationem. . . . 30 guldin in gold Rinisch.

Dise summæ zusamen, so dinem præceptori worden vnd von sinett wegen vssgeben, lauffen in müntz wyt vber die hundert guldin. Rechnen mitt dinem præceptore früntlich ab. Das dischgelt vnd was er dir gelichen, das ziech er ab, was dan vberig, das gehort

dir herus, mitt dem selben gelt richt vss Schneider, Schuomacher etc. vnd wem du schuldig bist, magst auch darus die vererungen geben vnd das vberig wyder mitt dir heim bringen; wo aber ditz gelts nitt gnuog wer (wie ich acht gnuog sin) yederman zuo bezalen, so wellest by Wolff Conraden entlechnen vnd im ein handtschrifft vff Isengrin oder Frobenien stellen, denen wil ich, was du wyters uffgenummen, noch behendigten handtschrifft vssrichten. Sonst hab ich Isengrin die 5. guldin im Aprili vssgericht, so du von gemeltem Wolff Conraden entlechnett vnd die handtschrift bekummen etc.

Petern dem botten hab ich gen zuo zerung vff den weg für euch beyd 4 basell pfundt in müntz vnd 4 keiserisch kronen, thuot zuosamen noch Basler estimation 9 fl. 8 plap. 1 fierer müntz. Wellet, was ir an einer yeder orten verzeren, verzeichnen.

XL.

Nicolaus Varnbülerus Bonifacio Amerbachio.

(Cod. Basiliens. G. I. 9. fol. 35.)

Omni doctrina virtuteque viro ornatissimo iurisqueconsultorum clarissimo, Domino Bonifacio Amerbachio Basiliensi, Domino et amico observando.

S. P. D. Ut par est, tibi patri filium dulcissimum adolescentem ornatissimum repetenti reddo, qui cum virtute sua meritum ad vos publicum testimonium afferat, non duxi opus esse aliud privatim addere. Etenim se talem nobis exhibuit semper, ut vere pium et liberaliter institutum adolescentem condecet, ut propterea semper mihi fuerit porroque futurus sit charissimus. De ipsius etiam grata erga me voluntate tantum abest me dubitare, ut non tantum mihi sed liberis quoque meis, quibus augeor, gaudeam, quod sperem, eos, si aliquando in iisdem castris versentur, ei quoque pro sua virili commendatos fore. Porro quod tibi persuades, vir iureconsultorum clarissime, apud nos Basilium tuum doctiorem esse redditum et instructiorem ad auscultationes Gribaldorum cæterorumque, quos Italia coryphæos iuris habet, partim non falleris; est enim idoneus auditor doctissimorum quorumcunque et talis qui brevi temporis spacio quod reliquum est instituti cursus cum laude queat perficere. Sed an aliquid additamenti eorum adiumentorum a nobis acceperit nescio sane, nisi quod pro tenuitate nostra lubens ei omnia illa me aperuisse putem, quæ nobis instituto suo conferre viderentur, quanquam me a scholasticis studiis tum Principis nostri illustrissimi tum aliorum crebræ occupationes, quibus obruor, sæpius quam velim abstrahant operamque meam, qua discipulis nostris publice et privatim prodesse gestio, impediant. Itaque, Amerbachi observande, pro tua omnibus nota et iudicata ἐπιείκεια saltem voluntatem nostram ad grati-

ficandum tibi tuisque semper promptissimam boni consules. Quod scribis porro de consilio tuo ob filii Basilii rationes proposito, facile credo gravem tibi exstitisse deliberationem illam. Ut enim optata sit et perquam præclara a Domino Gribaldo oblata occasio, ita periculosum est Italicis moribus et abominationibus, ut de cœli aerisque præcipiti mutatione nihil dicam, liberos charos committere, nisi quod me recreat tum Basilii pietas atque prudentia et præceptoris sui, viri excellentissimi et ut audio hominis christiani, fida cura. Basilium enim ita divina gratia affectum et institutum animadverto, ut non nisi *τὰ σύμφερα* ad imitandum et consequendum sibi sit propositurus cæteraque his contraria summo studio vitaturus. Quia vero, mi Amerbachi, te veneror merito et filium Basilium amo ex animo eique volo optime, hoc etiam tibi significare libuit, ut si vel tibi vel Basilio peracto studiorum cursu in Italia commodum videatur ac placeat ut publice docendo in scholis sese exerceat, sperare me impetrabile fore in nostra Academia locum ei concedi. Dum enim ætatem et ingenium Basilii considero, vix video quod nam aliud munus utilius ei et commodius contingere posset, dum non modo studia iuris rectissime legendo firmantur, sed et in collegio doctorum vera et optima praxis et usus theoriæ nostræ discitur ob quotidiana negocia et causas, quas vel consultamus vel iudicamus, ut deinde ad tempus aliquod sic exercitato ingenio facillimum sit honestissimas quasque condiciones, quæ vel ultro offeruntur, nancisci. Et si ad illas cogitationes aliquando deducaris, efficiam ut sentias re ipsa et filium tuum amari a me et te Patrem virum ornatissimum observari. Hoc etiam postremo rogo ut, si ita feret occasio, Basilium hic apud nos in Germania doctoreos honores potius quam in Italia accipere patiare. De quibus omnibus ipsi discedenti hic sum locutus, et sentio ab eo probari, si tuus quoque calculus accesserit, sine quo nihil statuet in universum. Mitto etiam tibi hic et domino Cœlio disputationem nostram, si forte ad vos nondum pervenisset; quam præscripto die cum laude sane omnium habuit filius tuus, et in re subtili et amplissima tale periculum de se publice fecit, quale ab alio æquali hic non est visum; quod non auribus tuis sed veritati damus. Pudet autem me, quod hactenus ad humanissimi Cœlii litteras nihil rescripserim et iam etiam non possim; quare rogo ut ei me velis excusare et has quas ad te do communes cum illo habere. Scribam adhuc ei, cum otium erit, aut patior omnia præsidia et remedia iuris quæ contra morosos extant adversus me intendi. Salutabis etiam eum meis verbis amantissime cum M. Nysæo. Ecce mitto etiam tibi tabulam rationum nostrarum de acceptis et expensis Basilii causa, quodque reliquum fuit ei adnumeravi. Si tu quid amplius accepti a nobis scias, salvum est adhuc addere. Agnovi etiam mutuum fratri meo datum et acceptis addidi, de quo Basilius aliquid tibi subiiciet quod scribere nolui. Pro victu et sustentatione Basilii tantum computavi expensis, quantum alii solvunt, quod puto tibi non grave fore; sic enim postulat caritas annonæ qua hactenus usi sumus, et dispeream, si ullum lucrum captem a convictoribus ac non potius officii et humanitatis gratia qui mihi probantur sustentem mecum. Cumque

iam plura non possim scribere occupatissimus, hæc tu inordinata et festinanter effusa boni consules et me tibi deditissimum amanter commendatum quæso habeas. Christus servator noster te tuosque quos charos habes conservet incolumes diutissime. Thubingæ XV. Calend. Septemb. Anno salut. MDLIII.

Tuus ex animo **Nicolaus Varenbulerus.**

Insperatam difficultatem quæ fratri Io. Ulricho cum Principe Georgio accidit quæso te, si possis iuvare, ut puerorum saltem gratia facias. Miror senis tenacitatem se indignam.

His iam perscriptis et fere literis obsignatis, nuntiat mihi uxor dulcissima puerpera Basilium ei vel honorarii vel mnymosyni loco donasse par Duplicatorum ducatorum, quod magnum et liberale sane munus est, pro quo magnas tibi Patri, cuius auctoritate factum scimus, agimus et habemus gratias, servaturi etiam deinceps perpetuo. Vale iterum atque iterum in Christo fœlix.

Tabulæ accepti et expensi Basilii nostri Amerbachii gratia.

Accepti

Primum huc veniens exolvit mihi Basilius aureos renenses 20 qui faciunt florenos . . 24

Mense deinde Februar. officiali quodam Wirtembergensi nuntio misit ad me Amerbachius Pater coronatos 20 qui faciunt flor. 30

Idem Amerbachius pater meo mandatu Basileæ exolvit coronatum cum dimidio in valore plus minus florenorum . . . . $2^1/_4$

Idem Isengrinio Typographo mea causa solvit florenos . . . . $15^2/_3$

Idem tandem mea fide mutuos dedit fratri meo Io. Ulricho Varenbulero aureos renenses 30. in valore flor. . . . . $37^1/_5$

Summa accepti flor. 109 kr. 7.

Expensi.

Primum mutuos dedi Basilio florenos . . . . $18^5/_6$

Deinde vixit apud me a 6 Calend. Octob. anni 52 usque ad 16 Calend. Sept. anni quinquagesimi tertii, quo nomine pro victu et habitatione in annum mihi debuisset coronatos 40, sed deductis diebus totidem quibus ante annum completum a patre domum revocabatur adhuc debet florenos . . . . $53^1/_2$

Summa expensi flor. 72 kr. 20.

His igitur inter se collatis et deductis accepti reliqui summa fit florenorum 36 et crucigerorum 47, quam Basilio discedenti numeravi Thubingæ 16 Calend. Septemb. Anno salut. MDLIII. Salvo errore calculi.

Nicolaus Varenbulerus, I. U. D.